REGULAMENTUM

PRO

REGIO - HUNGARICA NOBILI TURMA PRAETORIANA.

PARS I.

PRO

PRAETORIANIS MILITIBUS, NEC NON SUPERIORIBUS, ET INFERIORIBUS OFFICIALIBUS, CUM ADNEXIS ARTICULIS MILITARIBUS, TURMAE PRAETORIANAE STATUTIS, ET FORMULIS IURAMENTORUM.

REGIO-MONTANUM

PARS I

CAPUT I.

PRO PRAETORIANO MILITE UNÀ SUBLOCUMTENENTE.

Quos gloriosissimae Memoriae Augustissima Imperatrix, et Regina MARIA THERESIA in erectione Regiae Hungaricae Nobilis Turmae Praetorianae sibi Fines proposuerat, hi fuere

Primo: Ut Statibus, et Ordinibus Regni Hungariae, ac Magni Principatûs Transylvaniae luculentum altissimae Suae erga Eos Benevolentiae testimonium praebeat, una vero Nobili Iuventuti Hungarae, Croaticae, et Transylvanae Se, Augustamque Sobolem Suam custodiendam concredat.

Secundo: Ut beneficiô Instituti huiusce ad educationem Nobilis Iuventutis extensô, huic occasio procuretur, se per tempus, quod in eadem Turma exegerit, in Linguis, variis Scientiis, gymnasticis Exercitiis, nec non in Moribus, et Conversatione excolendi, eoque perficiendi, ut cum eggressu suo e Turma sive in Militari, sive in Civili Sphaera utilia Pu-

blico, et Patriae servitia praestare valeat. Cujus posterioris Intentionis effectus mutatis interea circumstantiis tanto etiam magis obtineri potest, quod actu rarissime contingat, ut Praetoriani Augustam Aulam equites comitentur, adeoque residuum hoc tempus eo utilius deinceps impendi possit.

Cum Timor Dei qua Principium, et Basis omnium actionum nostrarum considerandus sit; hinc etsi sperare liceat, Praetorianorum quemlibet ad ea, quae Religio, et Cultus divinus exposcit, primam attentionem conversurum, Legis tamen adinstar pro Nobili hacce Turma peculiariter statuitur, ut non modo dominicis, ac festivis diebus singuli Praetorianorum Sacro Missae Sacrificio devoti intersint, ast feriis quoque diebus, qui Fidem Romano-Catholicam agnoscit, obligationi huic, quantum possibile, satisfacere intendat, ideoque mature expergefieri adsuefiat, ut festivis cumprimis, ac dominicis diebus ad primum Tympani sonum pro Divinis paratus esse possit. Ubi alterum signum Tympano datum erit, tum omnes ad unum idemque Contubernium (Kamaradſchaft) spectantes Praetoriani apud concernentem Secundarium Vigiliarum Magistrum convenient, ab hoc demum datô tertiô signô ad magnum Conclave ducentur, ibidem tandem catervatim (brigadenweiſe) in dupplici ordine consistendum, ac abinde ad proprium domûs Sacellum pro audiendo Sacro Missae Sacrificio, et Concione procedendum erit.

Semel ad minimum quotannis paschali tempore Sacram Confessionem, et Communionem peragere cujuslibet Romano-Catholicam Fidem agnoscentis Praetoriani intererit; aliis aliam Religionem profitentibus, postquam decenter petierint, et in aedibus praetorianis Divina absoluta erunt, ad sua eundi Oratoria facultas concedetur.

Omnia, et singula Turmae hujus Commembra probam vitam ducent, a lusibus fortunae, jurgiis, et dissidiis abstinebunt, nec passiva debita contrahent, eatenusque praepositi Superiores, et Inferiores Officiales sedulo invigilabunt.

Sive ad Augustam Aulam, sive domi servitia praestiterit Praetorianus, illimitatum semper zelum, eamque exactitudinem sibi familiarem reddat necesse est, ut, quem gerit, Charactere, et altissima Gratia, cui creditam sibi Augustorum custodiam debet, dignum se efficiat. Quare

tam ad Aulam, quam in aedibus praetorianis, aut extra illas constitutus cuilibet pro ratione Statûs, et Conditionis humanum, venustum, ac modestum se se exhibeat, ad hoc vero facilius exequendum, quosvis Dominos Ministros, Camerarios, aliosque Magnates, ita dicasterialia quoque, et alia Individua sensim dignoscere adnitatur, ut, quem cuique titulum, et honorem praestare oporteat, ne ignoret, nec eidem hac in parte vel minimum maleverti queat.

Hac eadem ex consideratione in Linguis ad Aulam usitatis, aliis porro sive utilibus, sive necessariis Scientiis, ubi vacuae a praestandis obsequiis horae suppetent, se exerceat.

Mundities Praetoriani Militis prima curarum esto; quae quod Officialem deceat, ac ad conservandam valetudinem, haud parum conferat, non in vestitu tantum uniformi, et Armis, ast in tota quoque sui compositione, ac in Cubili observanda quam maxime Praetorianis commendatur; Eò juxta praelegenda Turmae Statuta isthic suapte intellectò, ut a fumigatione herbae nicotianae in statione Servitii, prout ab ebrietate Praetoriani abstineant, ac desuper universi praepositi Officiales omnimode vigilent.

Quemadmodum vero nemini Officialium penes Exercitum, sive in Campo, sive in Praesidio, aut in Stativis constituatur, citra praemissam Insinuationem, obtentumque Indultum per noctem se absentare integrum est, secus poenam incursuro; ita hoc ipsum penes Turmam quoque hanc stricte tenendum est, quapropter ad summum usque undecimam horam noctis Praetoriano domi adesse incumbet; qui supra hanc, aut per integram noctem emanserit, primo commonebitur, repetitis vero transgressionis casibûs severius plectetur, hîs demum nullam emendationem promittentibûs, inobedienti haud aliud supererit, quam ut contra eum ex incorrigibilitate ad dimissionem ex Turma procedatur; Id quod ad seditiosos quoque, rixatores, et passivorum debitorum contractores, secusque incorrigibiles extenditur.

Ut quispiam Praetorianorum per aliam, quam communem Ianuam ad Aedes Praetorianas clam intrare praesumat, vix supponitur, eo quod actus hujuscemodi bene moratum Officialem dedeceat, et per

hunc minorem errorem majori tegere volens, eo graviori adhuc poena se obnoxium redditurus sit.

Quò Praetorianus servitia exactius perficere, occurrentibusque in casibus prompte se juvare ipse possit, Conclavia, Ambitus, omnesque Communicationes in Regia Residentia quam primum noscere conabitur.

Qui in Vigiliis, aut Serie (Spaſier) steterit, is qua Officialis ad observandam debitam differentiam neminem, quam Augustos framea salutabit (mit dem Säbel präſentiren), coram Dominis Ministris autem, et Generalibus in convenienti duntaxat positione permanebit.

Conabitur etiam omnimode internas pro servitio sibi designati equi qualitates noscere, ut pro ratione circumstantiarum eum regere sciat. Hos pro altissimis tantum Servitiis destinatos equos recreationis causa, ut dicitur, equitare omnibus penes Turmam quam severissime prohibetur.

Ita etiam proprium Carpentum, aut Sonipedes habere Praetorianis sine discrimine vetitum est.

Prima neo-suscepti Praetoriani Militis cum ingressu suo obligatio est, praesente Capitanei Locumtenente, aut uno Superiorum Officialium, et Auditore praescripto Iuramento se obstringendi, exquo praevie, quam id praestiterit, pro obeundis ad Aulam obsequiis ordinari nequeat; quodsi aliqui germanicum Idioma ignoraverint, tum latina caeteroquin praeexistente formula Iuramenti utendum erit; quae in hac, et praelegendis saepius Turmae Statutis, ac Militaribus Articulis continentur, iis exacte se conformabit, cumprimis autem Fidelitatis, et homagialis erga Summum Terrae Principem Devotionis, prout Obedientiae, et Subordinationis erga Praepositos, quae summam obligationum suarum constituunt, nunquam obliviscetur; Et haec, quia fundamentum Servitii efficiunt, ab imo, usque ad Summum sancte observari debent.

Adhaec necessum est, ut cum Commilitibus suis non minus, quam aliis omnibus sive pedestrium, sive equestrium, aut limitanearum Legionum, sed et foedere junctorum Principum Officialibus in mutua animorum unione vivat, nec jurgiis unquam ansam praebeat, ac id ipsum in consortio quoque seu Regnicolarum, seu Exterorum observet, quibus pro

ratione cujusque Status, et Conditionis debitum honorem praestabit, existimationem, et amorem eorum ita promeriturus.

Stipendium, et, quae pro Victu emensa est, pecunia cuique Praetoriano sufficiat, haec victum suppeditanti Coquo, vulgo Tracterio admanuabitur, casu, ubi quispiam cum Indultu abfuerit, exceptô. Crispatorem, et Tonsorem ipse Praetorianus ex Stipendio solvet, ita linteam quoque suppellectilem, aliasque omnes seu ad uniformem vestem, sive ad nitorem requisitas minutiores res ex eodem procurabit.

Quia vero omnimode curabitur, ut Coquus praescriptum ciborum numerum in sufficienti quantitate, boni saporis, ac munde praeparatos suppeditet; hinc ab inutilibus querelis, opprobriis, et vexis in Coquum convehendis sub incurrenda animadversione quivis Praetorianorum abstinebit; ast, quia his bonum, mundeque praeparatum victum exigendi jus competere dignoscitur, integrum illis erit, sua via remedium sollicitare, si Coquo praeter opinionem hac in parte quidpiam fundate imputari quiverit. Mensibus vero singulis Novem Floreni, id quod per diem 18 cruciferos facit, singulis Praetorianis supputabuntur, coquo resignandi, pro quibus ille quatuor cibos, jusculum quippe, carnem bubulam, obsonium porro sic dictum ephipiatum (gefatteltes Gemüß), et assum cum pane, hunc quidem in valore unius cruciferi, suppeditare obligabitur.

Curandum attamen est, ut Contractus cum Coquo pro Commodo Praetorianorum quo leviori pretio ineatur. Caenam sumpturus Praetorianus ex proprio solvet. Qui cum Indultu abfuerit, nullam pro victu detractam patietur; in loco vero existens, etiamsi alio honoris causa pro prandio vocatus, nullam a Coquo refusionem praetendere potest. Aegrotis pecunia pro victu emensa ad rationem Coci peraeque supputabitur, quibus ad praescriptum Medici exacte paratos cibos subministrare tenebitur.

Honoris cupiditas praecipuus sit cujusvis Officialis omnium actionum instinctus, eo illum pellectura, ut industriâ, remonstratâ capacitate, morum probitate, ac in obeundis incumbentiis exactitudine futura promotione sua dignum se se efficiat.

Ad Inquisitionem, aut Iudicium Bellicum ordinatus Praetorianus

veste uniformi debite indutus, praescripta hora eo compareat, et ad Iudicium bellicum proprium Sigillum secum adferat. Quae proponentur, summa attentione excipiat, solide perpendat, post ad deliberandum recessurus cum suo commilite consultet, et prout optime sciverit, conscientiose una votum suum claris nec ambiguis verbis Auditori depromat, illud demum chartae mandatum appressô Sigillô subscribat.

Nemini Praetorianorum officiose, et in servitio proficiscenti e serie, et ordine eggredi licet, praevie quam id Superiori, cui paret, insinuet.

In cubili Excubiarum ad Aulam assignato lusus, clamores, jurgia, aut certamina, sub gravissima animadversione prohibentur; eo minus haec vigilias praestituri Praetoriani in peripheria sua tolerabunt; invigilabunt adhaec sedulo, ne quis suspectus, extraneus, aut cui accessus ad Aulam vetitus est, intret; qui notus est, et jus accessûs habet, ei cum honore obviandum est, ne secus querelis ansa praebeatur.

In cunctis extra aedes praetorianas praestandis servitiis balteus cum theca (Bandelier und Ladung) humeris injectus gestabitur.

In ordine, et serie consistentes Praetoriani, prout generatim in omni servitiorum genere profundum observabunt silentium, Verba Praefecti (Kommandowort) attenta excipient aure, et quae jubebuntur, sine contradictione quam celerrime, et exactissime effectui mancipabunt, quia Subordinatum plenam in rebus servitii fiduciam in Praeposito locare oportet.

Quia vero singulorum Contuberniorum (Kamaradschaft) senior, ac in ordine primus Praetorianus cum Secundario Vigiliarum Magistro alternative servitia praestare, ejusdemque sive absentis, sive valetudinarii vices obire debet; hinc suapte consequitur, hunc non minus suis, quam Secundarii Vigiliarum Magistri praecipuis incumbentiis pari exactitudine exequendis teneri, quo hac ratione caeteris bono exemplo praeire, eoque facilius hos ad implendas Obligationes perducere valeat.

In praesentia Generalium, Superioritatis item suae, et altioris Statûs, ac Dignitatis Personarum quivis Praetorianorum decentem se exhibebit, limites debitae Reverentiae non transgredietur, sed neque meticulosum se monstrabit; in gestibus, sermone, et responsis, omnibusque

actionibus suis sit liber, nunquam tamen irreverens; Quare sive cum Generalis alloquatur, sive huic quidpiam proponendum habuerit, praemissâ corporis justâ inclinatione, erectus consistet, oculisque in vultum ejus defixis, id quod proferendum est, cum praecisione, prudenter, et decenter efferat, ac finito sermone denuo se inclinet.

Quodsi unum, alterumve cum deferendo nuntio exmitti contigerit, omni cum celeritate sive die, sive nocte ad designatum sibi locum pertingere, ac abinde reverti conabitur; deferendo nuntio nihil adjiciet, nec ex eo quidquam exmittet; qui, ubi necessum fuerit, ut adscribi possit, oportet exmittendum Praetorianum pugillari, et cerusa provisum esse.

De rebus servitii sine discrimine, cumprimis vero iis, quae secreto tenenda sunt, nemo Praetorianorum coram Extraneis, eo minus in Termopoliis (Kaffeehäusern), aliisque consortiis quidquam disserat, cum hac ratione majoris etiam saepius momenti objecta detegantur, sed et dedecori cedat Praetoriano, de rebus disserere, quae aut ex parte ignorat, aut non satis perpendit.

Dum universi Praetoriani quidpiam proponere, aut querulari voluerint, duo illorum tantùm Secundarium Vigiliarum Magistrum accedant, per hunc ad Primarium Vigiliarum Magistrum, tum ad Secundarium, postea Primarium Locumtenentem, demum Capitanei Locumtenentem ducendi; Quodsi querela adversus hunc posteriorem directa foret, neque ad praemissam Insinuationem idem satisfactionem impenderet, mox ad Capitaneum pro ferenda medela se convertant, hâc vero haud allatâ, Primario Caesareo-Regio Supremo Aulae Praefecto, qua omnium Praetorianarum Turmarum Colonello querelas suas decenter proponant. Si porro unus duntaxat Praetorianus vel sollicitaret quidpiam, vel querularetur, is Secundarium, cui paret, Vigiliarum Magistrum adeat, aut si querela adversus hunc ipsum directa fuerit, neque satisfactionem impenderit, casu hoc ad Primarium Vigiliarum Magistrum, taliterque gradatim usque Capitaneum, cumprimis si querelae quempiam Superiorum Officialium respicerent, se convertat; semper attamen mature perpendere oportet, num querelae hujusmodi suo fundamento non careant, ne secus querulans gravissimo responsionis oneri se exponat.

Citra praemissam Insinuationem, obtentamque a Domûs Com-

mendante veniam nemini Praetorianorum ante meridiem, et elargita Mandata domo excedere licebit, reduces autem denuo se insinuent. Cujuscemodi Insinuationes tam in exitu, quam reditu prout Primario, et Secundario Vigiliarum Magistro suae Brigadae, et Contubernii (Kamaradschaft), ita etiam superioribus Officialibus faciendae erunt.

Usus alterius, quam praescripti uniformis vestitus, sub incurrenda severissima animadversione Praetorianis vetitus est. Prout autem omnes vestium germanicarum species, nullô praetextu opitulante, serio prohibentur; ita nimius, ac excessivus chlamydum, et femoralium vulgo galigarum ornatus filis argenteis, nec non pectoralia alterius, quam qui praescriptus est, coloris, omnia denique ab uniformi veste discrepantia gestare vetitum est, unice pluviae tempore permissarum fusci coloris togarum (Ueberröcke) usus toleratur, quae cum ingressu ad domos, aut Theatrum exuendae erunt.

Nimius, ac militarem Officialem dedecens crinium ornatus non tolerabitur; quivis igitur Praetorianorum unum ex parte utraque aciculis firmatum cincinnum, ac scissos brevius in coma crines, id quod adscito vocabulo Vergette appellatur, gestabit. Crines a tergo ad duos sub cervice pollices colligati, ad novem alios in longitudine sericeae nigrae fasciae involventur, ac in extremitate ad duos itidem pollices prostabunt. Collariorum rigidorum, limbo circumdatorum, quae penes universum Exercitum praescripta sunt, in Turma quoque hac Praetoriana usus erit; alia lemniscis (Maschen) ornata gestare perinde cautum sit, atque pectoralia umbilicotenus patentia cum protuberantibus indusiorum liminibus sic dictis Jabots, non tolerabuntur, siquidem Officiali vestitus virilis nullam affectationem spirans, aut levitatem prodens conveniat. Quorsum suapte intelligitur, ne ullus citra appensam lateri frameam ex aedibus praetorianis eggrediatur.

Qui debita passiva contrahit, occasione emergentium promotionum ipse fortunae suae obstat, periculum una incursurus, ut quemadmodum supra attactum est, contra eum, emendatione haud subsecutâ, ex incorrigibilitate ad dimissionem procedatur.

Omnes de Religione discursus prohibentur, ast tanto majori zelo ejus Legibus se conformandum est; quaevis insuper etsi minima enata-

rum causâ Religionis odiositatum ansa severissimae animadversioni subjacebit.

Quaecunque pro obeundis servitiis cujusvis officiosae eggressionis (Ausruckung) hora praefigetur, hanc Praetorianus exactissime observabit.

Si Praetorianorum aliquem aresto plecti contigerit, tenebitur spatio viginti quatuor horarum Domûs-Commendantem, per eum hac poena affectus, medio duorum e suis Commilitibus pro relaxanda poena orare, praeces has ad Turmae Capitaneum delaturum; ad casum poenae aresti per ipsum Turmae Capitaneum Praetoriano dictandae, ad eum immediate supplex recurret, secus verendum habebit, ne poena aresti exasperetur, et elapsô triduô eidem ob cervicositatem ad eum etiam casum Processus fiat, si parte ex sua justum habuerit, siquidem cuilibet Praetoriano post sui ex aresto dimissionem integrum sit, se exculpare, et competenti Loco querelas suas decenter proponere; Communis namque Lex est, primum obtemperare, tum vero conqueri; id etenim fundamentum Subordinationis constituit, cujus ex consideratione quilibet, annunciatâ sibi aresti poenâ, illico eo se conferet, nec ipse in persona exculpatum se ibit, ast id medio Commilitum suorum proponere poterit.

Dimissus ex aresto non minus Praeposito poenam dictanti, quam cui dimissionem in acceptis debet, grates in persona aget.

Pro aresto apud Agminis Coactorem perpesso huic, pro aresto autem in Cubili suo perferendo Prostrati (Adjutanten) 45 Xrorum Taxam punitus persolvet.

Si aliqui tantum Praetorianorum durius se tractatos existimaverint, non licet his aut totam Praetorianam Turmam, aut maximam ejus partem per modum conspirationis in communionem querelarum adsciscere, vel querimonias suas sive extraneis Individuis, sive Dicasteriis civilibus communicare; quod quemadmodum sub gravissima poena vetatur, ita cuique pro se causam querelae praescriptâ viâ promovere liberum est.

Ut ut cuilibet integrum sit, tempore lustrae querelas suas proponere, servitii attamen ratio deposcit, id praevie coram sua Competentia insinuare, et objectum querimoniarum indicare.

Summopere dedecet Praetorianum, imo segnitiei est testimonium

somnolentia, et in aedibus impexis crinibûs divagatio. Quilibet proinde mature expergefieri, se induere, ad elargienda quotidie Mandata in veste uniformi, ac appensâ lateri frameâ comparere, hora item 8. matutina inchoandis studiis nitide indutus interesse, totam denique diem in sui perfectionem convertere obligabitur.

Ne vero personali Praetorianus destituatur servitio, singulis duobus unus serviet Agazo, obligationes, et servitia sua solummodo ad purgandos cothurnos, everrendas setaceis vestes, ac scopanda cubilia restricturus. Horam praestandis his servitiis ab infra praescriptam exacte observare necesse est, eo quod Agazones pro magis essentialibus in stabulo peragendis servitiis destinati, personalibus Praetorianorum obsequiis dein amplius occupari nequeant. Ad alia, quam praeattacta, uti sunt exmissiones, et his similia servitia se adhiberi facere Agazones non tenentur.

Pro ratione circumstantiarum duo Praetoriani, ac necessitate exposcente, tres etiam in uno degent cubili, ubi tamen possibile fuerit, singulis singula assignabuntur cubilia, et seniorum praeferens ratio habebitur.

In morbum incidens, aut medicamentis utens Praetorianus, id illico suo Loco insinuari faciet, et recuperatâ valetudine hanc ipse in persona annunciabit.

Cum praeter custodiam Augustorum, educatio, et eruditio Praetorianorum praecipuum hujusce Instituti objectum constituat; hinc ne quinquennium isthic exacturus frustra perdat, in Scientiis, Linguis, et gymnasticis corporis Exercitiis plene se perficere studebit, hocque fine non modo praestitutas studii horas diligenter frequentabit, verum intermedium quoque tempus traditorum repetitione, et iteratâ lectione utiliter impendet, ne secus assecutâ maturiore aetate pretiosum irrevocabile tempus eum perdidisse poeniteat, ast potius conatus suos in utilitatem Patriae impendisse, sibi autem honorem, publicam existimationem, merita, et accommodationem promeruisse, cum solatio recordetur.

Omnes Praetoriani sine discrimine, aegrotis, absentibûs, et in servitio existentibûs demptîs, tenentur praescriptas frequentare praelectiones. Quodsi tamen aliquis unius, alteriusve Magistri Testimonium pro-

duxerit, se in tradenda materia plene jam versatum esse, is hujuscemodi Studio interesse non obligatur, ast alterius materiae praelectiones, quibus nondum interfuit, aut in objecto exacte haud est versatus, frequentabit.

Ubi Turma Praetoriana in corpore, aut pars ejusdem tantum cum Tympanorum, et Tubarum sono, ac evaginatâ frameâ progredietur, nemo Praetorianorum, sed nec Secundarii Vigiliarum Magistri in serie existentes salutare ausint.

Postremis antepaschalis hebdomadae diebus, qui ab obsequiis erit Praetorianus, frameam funebri modo gestabit.

Neo-suscepto Praetoriano decursus primi anni adinstar Tyrocinii erit; Hoc tempore si quis obstinacem, et depravatorum morum se exhibuerit, nec praelectiones Magistrorum frequentare, neque applicare se voluerit, tum Praefectura Turmae viâ Primarii Caesareo-Regii Supremi Aulae Praefecti, qua omnium Praetorianarum Turmarum Colonelli, pro ejusdem dimissione ad Suam Majestatem Sacratissimam Propositionem faciat.

Siquidem praescriptus in expergefiendo, induendo, peragendis item Divinis, et visitatione ordo per stabalem Officialem, et Equitum Magistrum exacte manutenendus sit; hinc Praescripto huic adcurate se conformare cujusvis Praetoriani interefit, ne secus faciens deferri, et poena affici debeat.

Qui ad praestanda obsequia ordinati haud fuerint, illi post elargita Mandata tempus postmeridianum, et vespertinum pro se liberum habebunt. Domûs vero Inspectionem habentes, aut pro Reserva ordinati, domi se continebunt.

Ne Praetorianorum ullus sui Instructionem interrumpat, citra ponderosas rationes nemini absentiae venia concedetur; qui hanc obtinuerit, ubi ubi commorabitur, se in loco Officii sui esse existimet, ideoque veste uniformi quotidie indutus se distinguat, et coram Militaribus Praefecturis in loco suae commorationis existentibus insinuet.

Die, quo absentiae ejus venia exspirat, si hujus prolongatio haud applacidata est, revertatur, secus, aut si causas longioris absentiae fundatas assignare haud potuerit, reus est, et ad praescriptum existentis ea-

tenus Normalis stipendio carebit. Verendum adhaec habebit, ne per Edictum citetur, et, si neque eotum in praefixo Termino comparuerit, adversus eum ex Contumacia procedatur.

Praefectura Turmae hujus Iure poenas dictandi liberrime utatur, in casibus nihilominus gravioris delicti, aut incorrigibilitatis, vel plane criminalis actûs Relationem competenti Loco actutum faciat.

Quo Praetorianorum aliquis ordinatus fuerit, eo ire, et manere ibi obligationis ejus est, nec proinde abs Indultu Praepositi alium officia sua expleturum sufficere sibi ausit, sed neque Praepositi eatenus interpellati sine ponderosis rationibus idmodi suffectiones indulgebunt.

Qui decursu exacti penes Turmam Praetorianam Quinquennii se excolere neglexerit, adeoque nec pro militari, nec civili Sphaera aptum se fecerit, elapsò hôc termino vacuus abibit. Applicatio Praetorianorum in statu civili ab eorum qualitatibus, et ab eo, prout se gesserint, dependebit; obligatio etenim Dicasteriis imponi haud potest, Individua civilis Statûs, quae longiore annorum serie serviunt, aut cum salariis quiescunt, excedentibus e Turma Praetorianis postponendi, ac in promotione, quam meruerunt, damnificandi, cum praesertim hi, quascunque demum penes Turmam existendo sibi comparaverint rerum notitias, initio accommodationis suae Dicasteriis, et Altissimo Servitio parum utiles esse possint. Hinc sequitur neminem Praetorianorum Ius cum suo e Turma eggressu illico adipiscendae in civili statu accommodationis praetendere posse, ast per decursum suae isthic quinquennalis morae, de consequenda applicatione ipsummet sollicitum esse oportebit. Quò nihilominus altissimae Intentionis finis, ut quippe Hungara, et Transylvana Nobilis Iuventus penes Turmam Praetorianam exculta utilia successu temporis Publico servitia praestet, assequatur; hinc omnes Praetoriani quinquennium isthoc ad ea, pro quibus destinati sunt, utiliter impensuri hisce affidantur: Recursus eorum pro consequenda in civili statu accommodatione optima quavis ratione secundatum iri.

Subsidium pro prima eggredientium e Turma Praetorianorum instructione vulgo Equipirungs-Beytrag, Instituto huic non est conforme, ideo hoc pro ratione duntaxat circumstantiarum per Suam Majestatem Sacratissimam clementer applacidabitur.

Cum in praemissis omnia exhausta esse videantur, quae Praetorianis pro directione scitu necessaria sunt; hinc praesens Regulamentum eis omnibus quovis trimestri ad captum praelegetur. Quia vero hac ratione ignorantiam allegare nemini opitulabitur; ex eo supponitur, singulos Praescripto huic se ita accommodaturos esse, ut quasvis animadversiones, et poenas devitent, ac proprio honoris instinctu se regant, omnia porro ea, quae sive Militare Regulamentum, sive Militaris servitii ordo, cumprimis relate ad Subordinationem, Disciplinam, animorum unionem, et Nobilis hujus Instituti sensum communem (Esprit de Corps) secum tulerit, tali cum exactitudine explere adnitantur, ex qua in totam Nobilem hanc Turmam Praetorianam honor, et communis existimatio redundet.

Exhinc quilibet Praetorianorum cum suimet ipsius convictione perspiciet, quam necessarium sit, ut quivis fortunae, et progressibus suis futuris fundamenta positurus quinquennium isthoc exercitio bonorum morum, et conformi ad praeappositum finem applicatione utiliter impendat.

CAPUT II.

PRO SECUNDARIO TURMAE PRAETORIANAE VIGILIARUM MAGISTRO, UNA EQUITUM MAGISTRO.

Praecipuum Servitiorum in aedibus praetorianis peragendorum onus Secundario Vigiliarum Magistro incumbit; ex hac causa delectus Individui pro Officio hoc omni cum perspicacitate fiet ex Exercitu, qua in re potissimum advertendum erit:

a) Ad bonos mores, quia speculum Subordinatorum eum esse oportet, quibus exemplo praeeat.

b) Ad indefessum Sevitii zelum, secus ordinis efficaciter servandi impar erit.

c) Ad illimitatam domi se continendi propensionem, Individuo cum sibi subordinatis incessanter occupato summe necessariam.

Is Contubernio (Kamaradschaft) e septemdecim aut octodecim Praetorianis composito praeerit, ac pro iisdem in omni casu sine discrimine respondebit, ordinem porro in cunctis servabit, manutenebitque; adcuratus, sedulus, laboris, ac fatigiorum patiens erit, et in actionibus suis gravitatem praeseferet, ut quae tam ei, quam Subordinatis incumbunt, ea quam exactissime, et sine mora effectui mancipari valeant.

Reliquas Secundarii Vigiliarum Magistri Incumbentias sive in Vigiliis, sive in Stationibus, aliisque Servitiis explendas subsequa Regulamenti hujus concernentia Capita uberius exprimunt.

Ad ea, quae Praetorianis praescripta sunt, sedulo attendet, quibus unà in sectando nitore, explendisque obligationibus exemplo praeibit.

A Primario Vigiliarum Magistro, cujus Brigadae uni Contubernio praeest, immediate dependebit, eidem de omni eventu Relationes praestiturus.

Num Praetoriani Contubernii sui ad Obsequia ituri nitide juxta, ac decenti Officiales modo induti sint, aeque vigilabit.

Statis temporibus Subordinatos in propriis eorum cubiculis inviset, cum illis de re servitii, et bonis moribus disseret, ad sectandam munditiem, ac ad satisfaciendum obligationibus reflectet; Vigilantia tali praepediturus, ne ullus Praetorianorum morbum celet, ast bona modalitate ad ejus revelationem pelliciatur, ac tristibus sequelis de tempore erripiatur.

Exiturus aliquo, aut rediturus Secundarius Vigiliarum Magister, ut quid sollicitet, insinuet, aut aliud quidpiam proponat, vel de re aliqua queruletur, id praevie Primario, cui paret, Vigiliarum Magistro proponet, apud hunc vero nihil effectuaturus, aut si querela contra eum directa foret, neque is satisfactionem rogatus impenderet, mox ad Secundarium Locumtenentem recurret; Querelis vero unum e Superioribus officialibus ferientibûs, ab eo primum satisfactionem decenter petet, et hâc recusatâ ad ipsum Turmae Capitaneum recursum sumet.

Qua in re attamen observandum, ut, quemadmodum in praece-

denti Capite de Praetoriano jam attactum est, e pluribus querulantibus duo solum Praepositum accedant, ne contrarius actus seditionem redoleat, severissime puniendus.

Legis porro principalis adinstar considerandum hic erit, ut quivis aresto punitus spatio viginti quatuor horarum duos sive collegas suos, sive alios veniam petituros indubie exmittat, casus enim contrarius subordinationi adversae cervicositatis testimonium erit. Dimissus posthaec ex aresto grates actum ipse ibit, et quae hoc in puncto pro Praetoriano praescripta sunt, eis se conformabit.

Secundario Vigiliarum Magistro nunquam integrum erit, proprio motu, et sine praescitu Primarii Vigiliarum Magistri, et respective Domûs Commendantis indulgere Praetoriano, ut domo eggredi possit.

Peccanti quapiam in re Subordinato commissos errores primum leniter, repetitis autem casibus severius exponet, eundemque unà instructurus, qualiter errores corrigendi sint; Nec tamen sub incurrenda gravissima animadversione praesumet, inimicitiam contra eum fovere, dictis mordacibus ei obviare, indecenter inclamare, aut ignominia plane afficere; si enim quis poena dignus est, aresto plectatur, et delictum suo loco insinuetur.

Necessum adhaec erit Secundario Vigiliarum Magistro, ut corum Subordinatis gravem, et moderatum se continuo exhibeat, vehementiam, et fastidiosum agendi modum, per quem odium duntaxat illorum sibi conciliabit, omni sollicitudine evitet, nec tamen ad nimiam cum illis familiaritatem descendat, secus omnem aestimationem perditurus.

Ad manutenendum ordinem, praepediendosque excessus interest quam maxime Secundarii Vigiliarum Magistri, ut, quibus praeest, Praetorianos non de nomine, et persona tantum, ast de qualitatibus quoque eorum sive bonis, sive malis noscere omni cura adnitatur, ut quis ad lusus, compotationes, obtrectationes (raiſoniren), certamina, cursitationes item, et divagationes, aliosque errores proclivis sit, ne ignoret, praemetuendas sequelas hac ratione praepediturus.

Quamprimum itaque ad unum malae vitae suspicio ceciderit, idemque debita, aut cum dissolutae vitae sequioris sexûs personis notitiam contraxerit, nec non in servitio morosus, ac generatim malorum morum foret,

mox vigili eum tenebit oculo, observatôque eô, quod contra Servitium, Superioritatem, aut Commilites suos loquatur, aut quosquos alios suspectos ducat sermones, se denique poena obnoxium faciat, sine mora eum aresto plectat, idque suo loco insinuet.

Non absimiliter, postquam ex externa Praetoriani alicujus forma conjecit, eum morbo quopiam affectum esse, aut ubi fundate de valetudine ejus dubitaverit, mox eum, prout supra attactum est, bona modalitate de statu valetudinis interrogabit, et ad revelandum morbum commonebit, quodsi renueret, illico insinuandum erit, ut remedium poni, et, si opus foret, visitari etiam possit.

Incumbit porro Secundario Vigiliarum Magistro, ut omnes serviles equos, sed cumprimis Contubernii sui exacte noscat, qui ne per Praetorianos dure tractentur, invigilabit, curabitque, ut cumprimis equis novitiis mitius obvietur.

Adcuratam senii, et ordinis, necnon subdivisionum, repartitionis, socialis equitationis, et Exmissionum Listam (Rangs- und Eintheilungs- Rangirungs- Reitkamaradschafts- und Kommandirliste), Consignationes item super applicatione Praetorianorum in Scientiis, Linguis, et gymnasticis corporis Exercitiis Secundarius Vigiliarum Magister secum continuo gestabit.

Obvius Dominis Ministris, et Generalibus, competentem his exhibebit reverentiam.

Muneris ejus erit, bonum ordinem apud Subordinatos tenere, eosdemque ad explendas obligationes stringere; nunquam proinde admittet, ut quispiam in servitio constitutus, quocunque demum sub praetextu, stationem suam deserat.

Si Brigadam unam hinc aliorsum ordinari contingeret, Secundarii Vigiliarum Magistri erit, quotidie praescripto tempore pro recipiendis Mandatis Primarium Vigiliarum Magistrum adire, eidemque omnes eventus referre; Quodsi vero cum Brigada hac, aut alia quapiam subdivisione unus e superioribus Officialibus exmissus est, casum in hunc, id quod praemissum est, Primarius Vigiliarum Magister superiori Officiali praestabit.

Postquam Brigada una, aut Contubernium, aut quaequae alia pars Turmae officiose eggressa est, hanc Secundarius Vigiliarum Magister ea

ratione subdividet, ut in eadem serie numero pares ab imparibus praevie segregentur, et horum quaterni singuli a dextra ad sinistram alam devient (theilet solche mit Geraden, und Ungeraden, dann mit Vieren vom rechten gegen den linken Flügel ab), tum numerum manipulorum (der ausgerückten Rotten) Primario Vigiliarum Magistro insinuet, per hunc Superiori Officiali, si ex officio praesens adest, referendum.

In casu, ubi Praetorianorum aliquem sine Indultu (pomeridianô tempore, quod praescriptum est, exceptô) ex aedibus abscedere, aut supra statutam vespertinam horam, aut plane per integram noctem emanere contigerit, obligationis Secundarii Vigiliarum Magistri erit, id omni partium studiô postpositô, sub incurrenda secus poena Praepositis insinuare.

Quae relate ad Inquisitiones, et Iudicia bellica pro Praetoriano praescripta sunt, ea Secundarius quoque Vigiliarum Magister observabit.

In officiosa Praetorianorum profectione curabit praeprimis, ut, quae eatenus praescripta sunt, aut pro ratione circumstantiarum mandabuntur, ea et ipse, et Praetoriani, quos ducet, exactissime effectuent.

Exiturus domo se insinuabit, et curam inspiciendi Contubernii, seniori qua primo in ordine Praetoriano ejusdem Contubernii deferet, ut hic domi se contineat, servitium continuaturus.

Si cum aliquot Praetorianorum Secundarius Vigiliarum Magister aliquo exmittetur, singulis mensibus Capitaneo Turmae Relationes praestabit, extraordinarios vero eventus illico eidem referet.

In praestandis autem Relationibus, tam Secundarius Vigiliarum Magister, quam caeteri omnes Praepositi cauti sint, rem cum omnibus circumstantiis, prout reapse existit, referant, ne infundata, aut falsâ denunciatione cuipiam injuria inferatur. Hoc proinde eo majori sollicitudine antevertendum est, quod secus detectâ falsitate denunciantem pro ratione circumstantiarum indubia animadversio mansura sit; siquidem omni in puncto summam aequitatem manutenere oporteat.

Adnitetur porro summopere neo-susceptos non modo perfecte quam primum noscere, sed et in re servitii, in frequentandis praelectionibus, ac in qualiter explendis caeteris obligationibus debite inviare, neque admittere, ut praevie quam Iuramento se obstrinxerint, ad praestanda

servitia adhibeantur; verum Superioritati insinuandum erit, si quis Iuramentum necdum deposuit.

Eos insuper, qui Contubernio suo adnumerati sunt, debite, et circumstantialiter instruet de modo praestandorum ad Aulam Obsequiorum.

Haec omnia praesenti Regulamento praescripta si Secundarius Vigiliarum Magister pro Incumbentia sua adimplere studuerit, una vero Subordinatos ad satisfaciendum obligationi adstrinxerit, non erit possibile, ut Institutum hocce fini suo non correspondeat, cui assequendo Primarium quoque Vigiliarum Magistrum, et cunctos superiores Officiales intendere oportet.

Individua proinde Contubernii sui adeo noscat necesse est, ut sive de natali loco, sive de servitii annis, sive de moribus, et applicatione singulorum seorsive interrogatus, ex tempore respondere possit.

Parem notitiam servilium equorum sibi comparabit, ut quippe cujusvis genus, aetatem, mensuram, originem, et qualitates describere, ac per quem quis statutus dicere sciat. Adhaec Praepositis suadebit, qualis cui Praetoriano equus assignandus sit, ut nempe aestuosus bono, et placido equiti detur, ne secus equi, quorum frequens, et longior usus haberi potest, praematurc, et voluntarie destruantur.

Cum omnium officiosarum eggressionum praescriptae horae adcurate observari debeant; hinc Secundarii Vigiliarum Magistri erit, ne postremus sit.

Nullum Praetorianorum ad servitia cumprimis ad Aulam praestanda ordinari permittet, nisi praevie in illis, quae ibi observanda sunt, solide informatus fuerit.

Praecipua autem obsequia sunt, Custodia Augustorum. Quam momentosum proinde Officium Praetorianorum? quam necessaria sit huic indissolubili nexu juncta Fidelitas? ac quantus ex his in Praetorianos dimanans honor? haec eisdem saepius ob oculos ponenda sunt; id quod non modo Primarii Vigiliarum Magistri, ast cunctorum etiam superiorum Officialium obligationis erit.

Absentis, aut valetudinarii Secundarii Vigiliarum Magistri vices primus in ordine ejusdem Contubernii Praetorianus obibit, cui secundus in ordine Praetorianus pro auxilio adjungetur.

Tam Secundario Vigiliarum Magistro, quam caeteris omnibus Praepositis, ac Praetorianis quoque praescripta Agazonibus obligatio, ordo item in stabulo, et in aedibus observandus ex integro cum omnibus circumstantiis cognitus sit.

Quemadmodum Praetorianis, ita Secundario etiam Vigiliarum Magistro vetitum est, equos serviles extra servitium adhibere.

Cum Secundarium Vigiliarum Magistrum aeque, prout quemvis Praepositum praescriptis Listis, et Tabellis provisum esse oporteat, ex eo eidem una incumbet advertere, ut distributio servitii (Kommandirungen) in aequitate fundata sit.

Pro obsequiis ad Aulam praestandis exmissos Praetorianos Secundarius Vigiliarum Magister summo in ordine, et cum decore ducet, qui quemadmodum pro observando per Subordinatos in Aula ordine responsionis onus habebit, ita si in itu eorsum, et reditu disordo quispiam observaretur, hoc ipsi unice vitio vertetur.

Ejus porro obligationis erit, ut ante primum hora matutina sexta datum Tubae sonum expergefiat, hôc subsecutô curae suae subjectos illico prima vice visitet, et ad surgendum, ac induendum commoneat, mox postea repetitim inspiciat, ut quivis Praetorianorum ante octavam horam cum omnibus paratus, decenterque indutus esse possit, praescripta studia occepturus. Hac enim ratione satisfactionem Praepositorum demerebitur, omnemque occasionem removebit, ne quid ei juste objiciatur, aut in eum pro observata repetita morositate animadvertatur.

Unus e Secundariis Vigiliarum Magistris quotidie servitium Vigiliarum per Praetorianos ad Aulam obeundarum, consuetam item in aedibus praetorianis Inspectionem habebit; quod dupplex servitii genus quatuor in ordine primi Praetoriani cum Secundariis Vigiliarum Magistris alternative obibunt.

Ex iisdem porro quatuor Secundariis Vigiliarum Magistris unus qualibet hebdomada curam, et Inspectionem in gymnasticis Exercitiis, equitandi nempe, saltandi, et digladiaturae, porro in Praelectionibus, in Theatro, et sub Prandiis habebit, ideoque a summo mane ad seram usque noctem occupatus erit, quia obligationi suae non ad speciem, verum

cum effectu satisfacere debet. Quapropter non modo gymnasticis Exercitiis, ast praelectionibus quoque Magistrorum interesse, tardius comparentes ipse advocare, tum commonere, et renitentes nominetenus Superioritati indicare tenebitur; Non absimiliter in Theatro clamitantes, manuum strepitu applaudentes, aut quidpiam indecens acturos, prout in civili veste comparituros monebit, aut Superioritati denunciabit, in errore vero deprehensos, cumprimis civili veste indutos illico domum ad arestum mittet. Nemini attamen sive inferiorum, sive superiorum Officialium, solô, et unicô Turmae Capitaneô exceptô, integrum erit, Praetorianum aresto, apud Agminis coactorem subeundo plectendi. Secundarius denique Vigiliarum Magister cum Praetorianis insimul prandebit, totoque tempore in duabus Brigadis prandentium Praetorianorum praesens aderit, curam habiturus, ut Coquus (Traiteur) praescriptos cibos, cum potu bene paratos, in bona qualitate, sufficientique quantitate suppeditet, sed neque Praetoriani inutiles, ac infundatas querelas ducant, sine causa cum Coquo litigent, aut plane ignominia eum afficiant; Quodsi enim victus male conditionatus foret, casu hoc per Secundarium Vigiliarum Magistrum Coquus moderate commonendus, admonitionibûs vero iteratis nullum effectum producentibus, Superioritati denunciandus erit.

CAPUT III.

PRO PRIMARIO TURMAE PRAETORIANAE VIGILIARUM MAGISTRO, UNA SUPREMO VIGILIARUM PRAEFECTO.

Primarius Vigiliarum Magister uni e duobus Secundariis Vigiliarum Magistris, et 35 Praetorianis Militibus compositae, atque in duo Contuber-

nia subdivisae Brigadae praeerit. Pro hac responsionis onus habebit, cavebitque pro, et de omnibus, quae Brigadam ejus concernent.

Listas, et Tabellas omnes, quarum jam in praecedenti Capite de Secundario Vigiliarum Magistro mentio facta est, secum gestabit; Instructio autem pro isto praescripta basim, et fundamentum omnium Primarii Vigiliarum Magistri Incumbentiarum constituet.

Cum vero in Primario Vigiliarum Magistro multum situm sit; hinc pro Officio hocce vir inculpatae vitae, defecati judicii, et indefessi, ac efficacis zeli necessarius erit, qui Individuorum Brigadae suae non minus, quam totius Turmae Praetorianae obligationes ex asse noscat.

Per eum quasi elaterium omnia Brigadae suae negotia promovebuntur; Secundarios proinde Vigiliarum Magistros ad accuratissimam, et indilatam Mandatorum executionem sub onere responsionis eum secus mansuro stringet, siquidem compertô quapiam in re defectu haud suffecturum sit dicere, se mandasse, nisi commissorum etiam debito effectui una intentus fuerit. Hac ex causa in Subordinatis, quamcunque hi sive in re servitii, sive in praestandis Relationibus obligationi suae exacte satisfecerint, nunquam plene conquiescat.

Operam adhaec dabit singularem, ut instillatâ Subalternis nobili quâdam ambitione, hoc vinculo eos primum manuducat, tum mitiori commonitione, tandem severiori increpatione, demum seriâ mansurae eosdem animadversionis expositione ad explendas obligationes stringat.

Cum Praetorianis Militibus, imprimis autem neo-susceptis identidem conversetur, hac ratione singulorum cogitandi rationem, quasve in spes educentur, perspecturus.

Ut ut de Praescripto Secundarii Vigiliarum Magistri intersit, Praetorianis in servitio constitutis invigilare; tamen Primario quoque Vigiliarum Magistro incumbet, curam Negotiorum Brigadam ejus respicientium gerere, ut quae sive apud Praetorianos, sive Secundarios Vigiliarum Magistros in disordine repererit, emendari faciat, ansam per superiores Officiales quidpiam exprobrandi praepediturus.

Si Primarius Vigiliarum Magister cum Brigada sua, aut cum tota Turma in Corpore, ut dicitur, ex Officio eggressus fuerit, duas tunc for-

mabit series (zwey Glieder) ex utroque latere versus meditullium juxta magnitudinem consistentes; quodsi pauciores, tres quippe, aut sex Praetoriani pro obsequiis ad Aulam ordinarentur, casu in hoc dislocatio eorum a dextro, ad sinistrum latus fiat.

Procul tamen absit, ut seu ipse Primarius, seu Secundarius Vigiliarum Magister singulos Praetorianorum seorsive ad locum, quem teneant, ducant; instruendi enim sunt praevie, et adstringendi, ut, quos inter consistendum eis erit, Commilites suos quam promptissime inveniant, rectam seriem formaturi; Primarii itaque Vigiliarum Magistri id tantum curae erit, ut Evolutio isthaec militaris exacte fiat.

Quum Primarius Vigiliarum Magister cum Brigada sua aliquo exmittetur, penes eam mansurus, tunc unum Inspectionem habiturum officialem quotidie denominabit, qui eum cum Secundario Vigiliarum Magistro, fine praestandarum de omni eventu Relationum, recipiendorumque Mandatorum quotidie accedet; Primarius autem Vigiliarum Magister cum exitu singulorum mensium Relationes suas scripto Praefecturae Turmae faciat.

Exiturus, rediturus, aut quidpiam sollicitaturus Primarius Vigiliarum Magister adeat omnes superiores Officiales, et cum reditu suo itidem apud eosdem se insinuet. Quodsi querelam deponendam habet, tunc ea observabit, quae penes Praetorianos, et Secundarios Vigiliarum Magistros jam attacta sunt. Non absimiliter aresto puniendus, aut ex eo dimittendus, quae supra praescripta sunt, iis se pariter conformabit.

Non licet ei cuipiam Praetorianorum ad Brigadam suam pertinentium ex aedibus praetorianis exeundi facultatem concedere, verum id praevie superioribus Officialibus insinuet.

Quae Secundariis Vigiliarum Magistris relate ad comparandam sibi Praetorianorum, ita etiam servilium equorum cognitionem, nec non gestandas secum Listas, et Tabellas, ac generatim quoad servitium praescripta sunt, ea Primario quoque Vigiliarum Magistro incumbunt.

Instructioni, quam Praetoriani a Magistro Scholae equestris (Bereiter) in equitando accepturi sunt, unus e Vigiliarum Magistris Primariis alternative semper praesens intererit.

Interest praeterea Vigiliarum Magistri Primarii, ut statum Briga-

dae suae, quot nempe capita in loco sint? quot exmissa? quot absentia? quot denique in Infirmaria? de memoria sciat. Qua ratione autem cum Subordinatis procedendum sit, hujus intuitu ad eam Instructionem relegatur, quae Secundario Vigiliarum Magistro eatenus data est.

Invigilabit adhaec, ne ullus suorum Subordinatorum citra Indultum ex aedibus praetorianis exeat; deprehensus autem aresto in cubiculo suo perferendo puniatur, ac id Praepositis insinuetur.

Praetorianos ad explendas Incumbentias serio stringat, et ad elargienda in aedibus praetorianis Mandata, si diem servitii habet, in persona compareat.

Quia autem praecipuae ejusdem obligationis est, eorum, quae Praetorianis, et Secundariis Vigiliarum Magistris praescripta sunt, adcurato effectui intendere; hinc suapte intelligitur, ut Incumbentias Subordinatorum exacte noscat, et adinstar propriarum suarum obligationum consideret, adeoque ad earum exactissimam observantiam repetitis visitationibus vigilet.

Aresto apud Agminis coactorem perferendo quempiam puniendi Ius soli, et unico Turmae Capitaneo reservatum est.

CAPUT IV.

PRO SECUNDARIO TURMAE PRAETORIANAE LOCUMTENENTE, UNA VICE-COLONELLO.

Secundarius ad Nobilem Turmam Praetorianam Hungaricam Locumtenens superioribus jam adnumeratur Officialibus, ultimum inter eos locum tenens, qui ut Subordinatos quovis in casu debite inviare valeat, cujus-

vis horum obligationes eum ex integro nosse oportet. Quae ad rem servitii spectant, haec perinde, atque alii superiores Officiales, intelligat, eo quod illius quoque intersit, munditiei, bono ordini, et Mandatorum executioni intendere. Quare obvius cuipiam Praetorianorum, aut cuicunque ad Turmam Praetorianam spectantium Individuorum, si quid in uniformi veste, aut alio amictu, aut framea, aut quacunque in re munditiei, aut bono ordini contrarium detexerit, illico exponat; Superiori namque Officiali Ius cum Subordinatis in re servitium, mores, et munditiem concernente mandandi competit.

Cura aegrotorum ei praeferenter incumbit, quos et ipse diligenter inviset, et cumprimis Secundarium Vigiliarum Magistrum Inspectionem habentem stringet, ut aegroti sedulo visitentur, nec ulla in re penuriam pati sinantur, omnia denique in subsequis Capitibus de Medico, Chyrurgo, et Infirmaria Turmae praescripta ad amussim effectuentur.

Acceptâ de aegritudine cujuspiam Praetorianorum informatione, mox, quid in re subsit, ipse videat, disponatque necessitate exposcente, aegrotum ad Infirmariam deferri, Medicum, aut Chyrurgum accersiri, et, si periculum subversaretur, aegrotum Sacramentis de tempore provideri. Adhaec partim ipse, partim vero medio Secundarii Inspectionem habentis Vigiliarum Magistri curabit, ut aegrotis omnia requisita sive medicamenta, sive praescripti cibi, et potus suppeditentur, ac in genere omnia munde serventur.

Incumbet ei porro, ad cuncta in aedibus praetorianis nitide, et in ordine servanda, nec non ad munditiem cubiculorum Praetorianorum, ambituum, et culinae, ad omnia denique punctum hoc concernentia vigilare, ac medio Officialis Inspectionem habentis sedulo omnino invigilari facere.

In casibus ponendarum per Secundarium, aut Primarium Locumtenentem querimoniarum, prout et occasione, ubi quid sollicitaret, eis se conformabit Legibus, quae Praetorianis, Secundariis item, et Primariis Vigiliarum Magistris uberius praescriptae habentur. Quodsi aresto punitus fuerit, tunc quidem ea, quae in praecedentibus Capitibus praescripta sunt, perinde observabit, ast Primarius Locumtenens pro Secundario, iste autem vicissim pro Primario Locumtenente veniam implorabit.

Exiturus, aut aliquo ordinandus, vel exmittendus Secundarius, aut Primarius Locumtenens, tam in abitu, quam reditu apud Primarium Locumtenentem, nec non Capitanei Locumtenentem, et Turmae Capitaneum se insinuabit.

Nec Secundario, nec Primario Locumtenenti integrum est, cuipiam citra indultum Domûs Commendantis ex aedibus praetorianis abeundi facultatem concedere.

Listis senii, et ordinis, necnon subdivisionum, exmissionum, repartitionum, aliisque pro Secundario, et Primario Vigiliarum Magistro praescriptis provisi sint.

Eorum adhaec obligationis erit, ad excolendos Praetorianos, nec non instruendos equos novitios mutuâ operâ concurrere. Subordinatos proinde ad explendas hac in parte obligationes stringent, nec tamen immoderatis, et indecentibus utentur expressionibus, aut excandescent, quod, quia animos duntaxat exulcerat, nec unquam in re servitii bonum effectum producit, serio omnino prohibetur; ast ad assequendum verum finem ea potius media adhibenda sunt, quorum apud Primarios, et Secundarios Vigiliarum Magistros mentio jam facta est.

Neo-susceptorum Praetorianorum Secundarius, et Primarius Locumtenentes praecipuam curam gerent, id cumprimis memoriae suae impressuri, saepiusque in memoriam revocaturi: non sufficere sibi, et Praepositis debitam apud Praetorianos reverentiam, et cum amore conjunctam verecundiam conciliare, ast necessarium adhuc fore, sinceram quamdam erga Praepositos fiduciam, veramque ad explendas obligationes, ad sui applicationem, ad excolendos mores, ad ipsum denique servitium propensionem, et naturalem proclivitatem instillare. Obligationem hanc omnes etiam caeteri tam superiores, quam inferiores Officiales cordi sibi imprimant necesse est; si enim compertum fuerit, quempiam Praepositorum concitatorem, et pacis turbatorem esse, qui Praetorianos ad obstinacitatem, renitentiam, et ad obtrectationes exstimulet, is ipse sequelas sibi adscribat, quae de praescripto Instructionis Turmae Capitanei hujuscemodi inquietos indubie mansurae sunt.

Tam Secundarius Locumtenens, quam omnes caeteri Praepositi quavis occasione, ubi circumstantiae admiserint, affabiles se Praetorianis

exhibebunt, quin tamen ad familiaritatem descendant; cum illis fiduciaaliter colloquantur, bene meritos publice collaudent, in gravioribus casibus solentur, quantum possunt sublevent, omni denique ex parte, in quantum ab eis dependebit, curam illorum gerant, uno verbo: quod eos diligant, palam testentur.

Datâ porro occasione, bona de Praepositis, et servitio sentimenta Praetorianis instillare Secundarius Locumtenens ne obliviscatur, facillime id assecuturus, ubi plenam erga Praepositos fiduciam, ac erga elargiendas ordinationes submissionem illîs praesentibûs testatus fuerit.

Secundario non minus, quam Primario Locumtenenti adhaec incumbit, cunctos Praetorianos, cumprimis autem Secundarios, et Primarios Vigiliarum Magistros intrinsece noscere, ut pro ratione unius cujusvis qualitatum eos manuducere, et inviare valeat; id quod frequentioribûs, ut praeattactum est, colloquiis, datâque eos intimius noscendi operâ, eo facilius assequetur.

In casibus ubi Secundarius, aut Primarius Locumtenens cum aliquot Praetorianorum solitarius exmittetur, eis se conformabit Legibus, quae pro Vigiliarum Magistro Primario praescriptae sunt.

Quotidianas matutinas Relationes, cum elargiendis ordinationibus, Mandatis, et Tessera militari tam Secundario, quam Primario Locumtenenti Inspectionem habens Primarius Vigiliarum Magister deferet; hebdomadales vero, et menstruales Relationes ambo Primarii Vigiliarum Magistri a Brigadis suis Secundario Locumtenenti praestabunt, in quorum subin comitiva iste Primarium accedet Locumtenentem, iste autem cum illis Capitanei Locumtenentem, hic denique cum omnibus illis Turmae Capitaneum pro praestanda Relatione adibit.

Invigilabit porro, ut Articuli militares, Statuta Turmae, aliaque Praecepta Praetorianis de praescripto praelegantur.

Praeter jam commemoratas Tabellas, Capitali quoque Lista (Grundliſte) totius Turmae Praetorianae Secundarium Locumtenentem, et quemvis superiorum Officialium provisum esse oportet.

Protocollum, quod Prostrates ducit, Secundarius, et Primarius Locumtenentes saepius exhiberi sibi faciant, visuri exinde, num omnia accurate, et suo ordine ei inducta sint.

Muneris adhaec eorum est, completum totius Turmae Praetorianae statum, quot nempe capita in loco, quot in servitio, quot ablicentiata, quot denique in Infirmaria existant, e memoria scire.

Si praeter omnem opinionem mitiores, et pro ratione circumstantiarum severiores etiam commonitiones, et increpationes apud quempiam subalternorum Officialium nihil prodessent, aut nefors primus jam reatus graviorem illico exposceret animadversionem, talem Secundarius, et Primarius Locumtenens aresto in cubiculo perferendo, imo si grave delictum foret, etiam apud Agminis Coactorem subeundo plectere potest, ast id Secundarius Locumtenens Primario, iste vero Capitanei Locumtenenti cum subversante causa instantanee insinuet; prout id alias etiam omni in casu, ubi quispiam aresto punitus fuerit, observandum est; dimissio autem non amplius a poenam dictante, verum ab ipso Turmae Capitaneo dependebit. Extra casum nihilominus magni delicti nemo, praeter Turmae Capitaneum, poenam aresti apud Agminis Coactorem perferendi dictare potest.

Incumbit praeterea Secundario, et Primario Locumtenenti Vigilias Aulicas de tempore in tempus visitare, et num ordo observetur, numve Praetoriani obligationi suae satisfaciant, sedulo vigilare.

Si tota Turma Praetoriana in corpore, uti dicitur, eggrediatur, hanc senior Primarius Vigiliarum Magister in series collocabit, tum paribûs numero ab imparibus segregatis in 4 Capitum series subdividet, atque evolutione taliter finitâ, id Secundario Locumtenenti, hic Primario, tum iste Capitanei Locumtenenti, iste denique Turmae Capitaneo insinuabit.

Secundarius, et Primarius Locumtenens ad id etiam omnem convertent vigilantiam, num caetera quoque aedium praetorianarum Individua Obligationibus suis ad amussim satisfaciant, Agminis Coactorem cumprimis, sed et praeferenter Ianitorem, vulgo Portarium cohibebunt, ne quaevis hominum fex, et sequioris sexûs personae aedes praetorianas intrent, aut ibidem tolerentur.

Non absimiliter ambos Inspectionem habentes Officiales ad observantiam Incumbentiarum suarum cogant, et ad explendas unius cujusvis Individui obligationes sedulo invigilent; unde suapte consequitur, ut

cujusque Individui Praecepta, ac totius Regulamenti continentias exactissime sciant.

Occasione eggressionum totius Turmae Praetorianae in corpore, cumprimis vero sub solenniis Divini Cultûs (Kirchenparaden) Primarius, et Secundarius Locumtenentes ne ultimi sint, ast praevie, quam Brigadae, et respective Contubernia insimul convenerint, jam ibi adesse conentur. Minimus qui in compositione alicujus Praetorianorum, aut alia in re observabitur defectus, concernenti Primario, et Secundario Vigiliarum Magistro exprobrandus est.

Praecipua Praetorianorum obsequia, quippe Augustorum custodia, quam magni momenti sint, per Secundarium quoque, et Primarium Locumtenentem Praetorianis, prout jam alio in loco commemoratum est, saepius ob oculos ponenda erunt.

Secundarius, aut Primarius Locumtenens, aut alter ex Praepositis cum aliquot Praetorianorum in servitio proficiscens, acceptum pabulum in quavis statione quietet, ac desuper Contraquietantiam recipiat, eandemque Ratiocinio suo adnectat.

Quemadmodum jam in Capite secundo de Secundario Turmae Praetorianae Vigiliarum Magistro una Equitum Magistro praescriptum est, ut ante horam sextam matutinam expergefiat, et Praetorianos datô Tuba signô illico, et post aliquam moram secunda vice visitet; ita Secundarii quoque, et Primarii Locumtenentis obligatio est, ad exactam Praescripti hujus observantiam vigilare, et statis temporibus Primarios, et Secundarios Vigiliarum Magistros visitare.

Quae pro Praetoriano, et Secundario Vigiliarum Magistro praescripta sunt, ea Secundarius, et Primarius Locumtenens ex asse sciat, ac, ut cuncta debite promoveantur, et exacte observentur, vigilet.

CAPUT V.

PRO PRIMARIO TURMAE PRAETORIANAE LOCUMTENENTE UNA COLONELLO.

Primarius Turmae hujus Praetorianae Locumtenens illud Individuum est, quod Capitanei-Locumtenenti omni excogitatu possibili zelo assistere, omnes etsi minimos eventus ei insinuare, ad cuncta eundem reflectere, uno verbo, indefessa studia eo convertere debet, ut non modo altissimum servitium quam exactissime promoveatur, verum domesticus quoque ordo in omnibus suis partibus manuteneatur, et accurate observetur.

Secundarii Locumtenentis Incumbentias quasi sibi etiam communes consideret, et plenissimam totius Regulamenti notitiam eo magis sibi comparet, quod accidere possit, ut curam in aedibus praetorianis obtineat, imo in absentia utriusque Capitanei Praefecturam Turmae gerat.

Non tantum diversis illis, alio in loco jam commemoratis Listis, verum Capitali quoque totius Turmae Praetorianae Lista (Grundliste) provisus sit.

In casibus, ubi quid petendum, aut querelam deponendam habuerit, vel aresto punitus exstiterit, prout et tunc, si exiverit, aut aliquo missus abhinc fuerit, demum relate ad modum cum Subordinatis procedendi, et quoad dictandas eisdem aresti poenas, eis se conformet Legibus, quae Secundario Locumtenenti praescriptae sunt.

Quotidianas Relationes Primarius, et Secundarius Locumtenens accipiet a Primario Vigiliarum Magistro Inspectionem habente, hebdomadales vero, et menstruales a Secundario Locumtenente in comitiva Primariorum, et Secundariorum Vigiliarum Magistrorum eum accessuro, cum quibus dein praeattactis hebdomadalium, et menstrualium Relatio-

num diebus ad Capitanei Locumtenentem, et cum hoc ad Turmae Capitaneum ibit.

In Exmissionibus ad praestanda servitia invigilabit Primarius Vigiliarum Magister, ut ordo, et aequa distributio in servitio observetur, nec ulli ex partium studio, aut aliis ex causis vel minima injuria inferatur.

Citra indultum Capitanei Locumtenentis nemini ex aedibus praetorianis abeundi facultatem dare ausit.

Prostrati invigilabit, ut quotidiani eventus omnes non modo in quotidianis Relationibus compareant, ast Protocollo quoque accurate inserantur.

Ut tam Primarius, quam Secundarius Locumtenens mandata sibi referri, aut quascunque alias insinuationes solitarie, non autem in praesentia extraneorum, quorum haec scire non interest, eo minus in domibus caffeariis, aut consortiis, sibi fieri faciat, suapte intelligitur.

Cum Praetorianis saepius se distrahat, ac jam unâ jam aliâ quaestione in re servitii positâ, eorum sensa desuper excipiat, et explicet, qua nefors in re aberrent, tum eorum difficultates solvat, taliterque subin totum objectum plene exhauriat. Eosdem adhaec capacitet, quam necessarium sit, ut quivis Officialis obligationes suas, a quibus futura ejusdem fortuna dependet, cordi suo imprimat, et firmiter persuasus sit, nullam hic diligentiam, nullum fatigium inutile esse, proinde nunquam hac de re satis disseri posse.

Superinspectio in Studiis, et gymnasticis Exercitiis Primario Locumtenenti defertur; quapropter ad id cumprimis attendat, ut omnes, praesertim autem neo-suscepti Praetoriani in Scientiis, Linguis, et gymnasticis Exercitiis non minus, quam in caeteris Obligationibus suis, ac in negotio praestandorum ad Aulam Obsequiorum debite instruantur, ad discendum autem de Praescripto omnes sine discrimine serio omnino adigantur.

Pari ratione obligatur ad conservandos equos serviles generatim, praeprimis autem ad bene pabulandos, et servandos, prout et instruendos equos novitios vigilare. Insuper accurata equorum mensura provisus sit.

Debita contrahere superiores non minus, quam inferiores Officia-

les, et Praetorianos Milites dedecet, priores vero eo magis, quod orituras exinde malas sequelas intimius perspicere possint, et Subordinatos a contrahendis debitis abstrahere debeant; Qui proinde huic Praescripto contravenerit, is praeter animadversionem eum mansuram futurae etiam promotioni ipse sibi obstabit.

Cum autem nitor penes Turmam Praetorianam omni possibilitate sectandus sit; hinc suapte profluit, ut tanto magis Primarius, et Secundarius Locumtenentes omni ex parte cumprimis autem in veste uniformi semper munde, et nitidè compareant, nec quidquam uniformi vestitui contrarium gestent.

Erga omnes Subordinatos sine discrimine moderatum, prout competit, se exhibeat Primarius, et Secundarius Locumtenens, nec indecentibus, et duris utatur expressionibus, sed nec statim ob quasvis minutias aresti poena Officiali minetur.

Curabit praeterea Primarius Locumtenens, ut omnes eggressiones Praetorianorum ad praestanda Servitia ordinatorum praescripta hora indubie fiant, secus errantes deferat, ut in illorum negligentiam animadverti, iidemque pro ratione circumstantiarum puniri possint.

Prostratem etiam adiget, ut omnes Praetoriani Milites quovis anno denuo mensurentur, et pro comperta mensura nova Repartitionis Lista (Rangirungsliste) effermetur.

Dum Praetorianis Mandata elargientur, Primarius quoque, et Secundarius Locumtenens subinde praesentes adsint.

Cum autem Primarius, et Secundarius Locumtenentes alioquin de omnibus notitiam habere debeant; hinc quotidianae Relationes, aliaque Exhibita eisdem superflua sunt, quapropter haec nonnisi Turmae Capitaneo porrigenda erunt; Paria nihilominus penes Turmam conservanda Capitanei-Locumtenenti, aut in ejus absentia Domûs Commendanti admanuanda erunt, qua ratione etiam nimiae scriptitationes evitabuntur.

Dum Primarius, et Secundarius Locumtenentes cum absentiae venia, aut alias absunt, mox cum reditu suo omnes emanatas Ordinationes, et Protocollum sibi exhiberi faciant, ut, quid illîs absentibûs actum sit, videre possint.

Ad Instructiones in equitando, aut ubi Praetoriani Exercitia in re

servitii equites habuerint, superiores Officiales eorsum saepius comparere conentur.

Primarius Locumtenens insuper omni possibili diligentia eo vigilet, ut Magistri tradendarum Scientiarum, Linguarum, et gymnasticorum Exercitiorum obligationibus suis omni cum sedulitate satisfaciant; Hi eidem una de unius cujusvis Individui applicatione fidelem praestent Relationem; compertò autem minimò partium studiò, aut quod aliquis Magistrorum ex favore unius, alteriusve negligentem applicationem occultare velit, talis serio omnino commoneatur, et ne id imposterum facere attentet inhibeatur, in repetito vero transgressionis casu deprehensus Turmae Capitaneo denuncietur, ut ejusmodi plus mali, quam utilitatis causans Magister dimitti, et ejus loco alter accuratior, et fidelior suscipi valeat. Ast negligentes quoque Praetorianos, quemadmodum jam commemoratum est, Primarius Locumtenens ad diligentiora studia serio omnino adstringat, ne secus raram hanc se excolendi occasionem in suum per totam vitam duraturum praejudicium, et irreparabile damnum ex petulantia gratis perdant.

Cum fine unius cujusvis anni Primarius et Secundarius Locumtenens cum accersendis Primariis, et Secundariis Vigiliarum Magistris morum, et applicationis Tabellas, sic dictas Listas censoreas, juxta existens eatenus formulare pro suo scire, et in conscientia conficiant; Cumque hic omne odium, et partium studium sub gravissima animadversione prohibitum sit; hinc quilibet Praetorianorum, qualis reipsa est, genuine describatur. Haec censorea Lista per eos omnes subscribatur, penes Praefecturam aedium praetorianarum remansura, copia vero ejusdem, per Capitanei Locumtenentem quoque in communione subscribenda Turmae Capitaneo exhibeatur, qui dein tertiam copiam sub sola nominis sui subscriptione Suae Majestati Sacratissimae praesentabit.

Quae relate ad matutinam ante horam sextam expergefactionem, iteratam Praetorianorum visitationem, nec non aresti apud Agminis coactorem perferendi poenam unice per Turmae Capitaneum dictandam, ac generatim intuitu observandi ordinis pro Secundario Locumtenente praescripta sunt, ea Primarius quoque Locumtenens ex asse sciat, et ad instar propriae obligationis suae consideret.

CAPUT VI.

PRO TURMAE PRAETORIANAE CAPITANEI LOCUMTENENTE, UNA GENERALI CAMPI VIGILIARUM PRAEFECTO.

Capitanei Locumtenens primum tenet post Turmae Capitaneum, cui omni cum dependentia plene subest, penes Turmam Praetorianam locum, eidemque incumbit, omni possibili sollicitudine Capitaneo suo assistere, tum, ut cuncta de Praescripto, et juxta Mandata debite in effectum deducantur, firmiter insistere.

Officium hocce requirit virum efficacissimum, valde activum, indefessum, qui obligationes unius cujusvis Individui, et rem totius Servitii ex asse noscat. Is in aedibus praetorianis domicilium suum tenere, quorumvis etiam minimorum eventuum notitiam habere, atque hos Turmae Capitaneo insinuare debet, cui in concordia, et harmonia convivere omnibus excogitabilibus mediis adnitatur; Adhaec suis Subordinatis ne minimum quidem errorem dissimulet, ast cum eis etiam mitius, et omni cum moderamine procedere sciat.

Omnibus Turmam Praetorianam concernentibus Listis, et Tabellis provisus sit.

Si quid aut petere, aut querulari vult, immediate ad Turmae Capitaneum recurrat, ac nonnisi in casu, ubi apud hunc nihil effectuaret, ad Primarium Supremum Aulae Praefectum recursum sumere liberum ei manet. Quodsi aresto punitus, aut ex eo dimissus fuerit, casu hoc ea observabit, quae eatenus alio in loco commemorata sunt, veniam autem Primarius Locumtenens pro eo petet.

Quum pro tempore aliquo discedere vult, Turmae Capitaneum

fine exoperandi altiori Loco Indultûs requiret, et in quovis abitu, ac reditu tam apud Turmae Capitaneum, quam Primarium Supremum Aulae Praefectum se insinuet.

Ubi Capitanei Locumtenens cum aliquot Praetorianis in servitio aliquo ordinatus fuerit, de tempore in tempus Turmae Capitaneo Relationes praestet.

Quid in accipiendis Relationibus, elargienda Tessera Militari, ac Mandatis ei agendum sit, id ulteriora Regulamento huic inserta Praecepta continent. Omnes de die occurrentes momentosos eventus Turmae Capitaneo illico insinuari faciat.

In absentia Turmae Capitanei Praefecturam Turmae geret, et nonnisi ab illis Turmae Capitanei functionibus, quae immediatam Suae Majestatis Sacratissimae comitivam sive equo, sive pedes concernunt, exclusus est.

Supponitur quidem de omnibus Officialibus in genere, eos pro vera honoris intelligentia, hunc cumprimis in sollicita, et constanti Incumbentiarum suarum adimpletione quaesituros esse; si nihilominus unus alterve superiorum, et inferiorum Officialium praeter omnem opinionem ejus oblivisceretur, tunc ei Capitanei Locumtenens bona modalitate, et in secreto erroneum actum exponat, eundemque ad facti sui poenitentiam perducat, et ad emendationem mitius commoneat, repetitis vero transgressionis casibûs severius, debito tamen cum moderamine, reflectat, ac una declaret, quod etiamsi ulteriora in magnum ejus praejudicium futura remedia nonnisi invite adhibenda sint, eadem tamen in fine arripi debeant. Quodsi neque hae minae profuerint, aut primum statim delictum, praesertim Subordinationem, et Servitium respiciens, gravius foret, eotum Capitanei Locumtenens errantem aresto plectat, ac id Turmae Capitaneo illico insinuet, nec dimissio amplius ab illo dependebit. Ast ad id hic bene advertendum est, ne hoc ex quapiam aversatione, aut aliis infundatis de causis inevitabilem animadversionem post se trahentibus fiat; quod utique omnis Praepositorum relate ad suos Subordinatos evitare, ac potius summam omni tempore aequitatem observare debet. Hac ex causa adnitatur Capitanei Locumtenens, superioribus, et inferioribus Turmae Officialibus in bona cointelligentia, et animorum unione

convivere, unum quemvis pro possibilitate adjuvare, ac una sollicite in id intendere, ut etiam superiores, et inferiores Officiales, Praetoriani item, et omnia reliqua Turmae Individua erga quemlibet se taliter exhibeant.

Pari ratione concordia cum Militari statu, Rei item Tormentariae, Geometriae, et Pontonum Cohortibus, omnibusque illis, qui Officialis characterem habent, et penes Exercitum serviunt, porro cum omnibus Legionibus, et foedere junctorum Principum Militia, denique cum Regnicolis, quia omnes hi pro Bono unius, ejusdemque Summi Terrae Principis conferunt, intime fovenda, non absimiliter debita omnibus Superioribus praestanda reverentia sine exceptione unicuique Subordinatorum, praesertim autem Praetorianis injungatur; in cujus consequentia hic adhuc observandum est, quod Inferior coram Superiore prior pileum deponere, iste dein grates agere teneatur, quod item non sufficiat, ut quispiam Officialium obvius alicui e Ministris, Generalibus, Stabalibus Officialibus, aut alteri cuipiam distinctiori personae, hos duntaxat pilei depositione honoret, ast, ubi talem observaverit, subsistat, et ei appropinguanti debitam testetur reverentiam. Hinc enim bene morata Militaris educatio elucescit, quae sine dubio omnium optima est, quamve omnis qualificatus Officialis appetere, et eam assequens summum honorum sibi exinde facere debet.

Certum, et indisputabile est, quod quamprimum aliquis Praepositis suis debitam in omni casu reverentiam exhibet, is semet ipsum honoret.

Subordinatus in praesentia sui Praepositi ad inutile cum alio colloquium se non immittat, et sermonibus sui Praepositi, etiamsi fundatam rei scientiam, et notitiam haberet, nonnisi paucis verbis se misceat.

Nunquam tamen in similibus occasionibus quibusdam commoditatibus utatur, haec enim contra debitam reverentiam, bonos mores, et decorem forent.

Ast nec ulla ratione quispiam Officialium, prout jam alio in loco commemoratum est, meticulosus sit, verum decorem quemdam constanter

praeseferat; tanto autem minus, si de re aliqua interrogatus fuerit, timidum, ast potius maturum, et prudentem in responsis se exhibeat.

Hac ratione comparatus, una vero servitium suum intelligens Officialis eas possidet qualitates, quas Character ejus exposcit. Is postmodum unumquemque bono agendi modo sibi devinciet, et favorabilem omnium opinionem sibi conciliabit, quae, ubi suo tempore in servitio adhibitus, et tentatus fuerit, tantum effectura est, ut prima de eo concepta opinio pro ipsius commodo confirmetur; unde necessario omnia sibi promittere potest, nec ullum dubium superest, quin quavis occasione sive in militari, sive in civili statu fortunam faciat.

Sed et Praepositus bonas hujuscemodi, et essentiales qualitates in Subordinato videns, et agnoscens, non potest eum non amare, et magni facere, ac id ipsum eidem quavis oportunitate testatum reddere. Casu autem in contrario, ubi quispiam Subordinatorum in moribus, et Servitii zelo peccaverit, id ei sine respectu Personae per Praepositum exprobrandum est.

Omnia praemissa Subordinatorum animo imprimere Capitanei Locumtenens adnitatur.

Quasvis Regulamenti hujus partes, et in concernentibus Capitibus contenta singulorum Individuorum Praecepta Secundarius Capitaneus ex fundamento intelligat, una vero diligentissime curet, ut quodvis Individuum Obligationi suae exactissime satisfaciat, et in ea consolidetur. Quemadmodum autem non satis est, ut unusquisque in statu sit, e tenoribus sui Praescripti id, quod desideratur, illico, et accurate exequendi, ast insuper requiratur, ut quivis etiam causam inevitabiliter necessarii ordinis, et elargiendorum Mandatorum perspiciat; ita Capitanei Locumtenenti incumbit, Regulamenti hujus, et servitii in genere per sedulam lectionem, et meditationem tam plenam sibi comparare notitiam, ut in omnibus casibus instantanee se juvare, et pro ratione circumstantiarum necessarias dispositiones facere, una vero suos Subordinatos hac in parte fundate instruere, omnes illorum difficultates solvere, ad quaestiones respondere, et eosdem debite inviare sciat.

Tam Capitanei Locumtenens, quam Primarius, et Secundarius Locumtenentes, Primarii item, et Secundarii Vigiliarum Magistri deponunt

Iuramentum juxta adjacens formulare coram Primario Supremo Aulae Praefecto; neo-suscepti Praetoriani Milites autem, et Stabi minoris Individua coram Capitanei Locumtenente, in praesentia Turmae Auditoris.

Omnia Exhibita Turmae Capitaneo porrigenda (exceptîs, quae Sphaeram oeconomicam respiciunt) Capitanei Locumtenens subscribat iste vero eadem demptîs quotidianîs Relationibûs Primarii Locumtenentis subscriptione munitas recipiat.

Siquidem Capitanei Locumtenens Aedium praetorianarum Comendans sit; hinc pro, et de omnibus, quae ibi eveniunt, cavebit, ac respondebit, consequenter etiam omnium exactissimam notitiam habere debet.

Si tota Turma Praetoriana in corpore in servitio eggredietur, Capitanei Locumtenentis erit, serierum abitum, progressum, framearum nudationem, et ad vaginam repositionem (die Abmarſche, Aufmarſche, Säbelergreifen, und Verſorgen), uno verbo omnia, quae occurrent, mandare.

Capitanei Locumtenens, prout omnes Praepositi, Prostrates item, et Scholae equestris Magister accurata equorum mensura provisi esse debent.

Poenam aresti apud Agminis coactorem perferendi dictare solius Turmae Capitanei Praerogativa est.

CAPUT VII.

PRO TURMAE PRAETORIANAE CAPITANEO, UNA CAMPI-MARESCHALLO, AUT GENERALE EQUITATUS.

Turmae Capitaneus occasione suae denominationis deponet Iuramentum Suae Majestati Sacratissimae, assistente Primariò Supremò Aulae Prae-

fectò, juxta adjacentem Regulamento huic formulam, qui posterior, qua omnium Caesareo-Regiarum Praetorianarum Turmarum Colonellus, eum dein more consueto toti Turmae Praetorianae praesentabit.

Is cum Turma Praetoriana in negotiis Obsequia Aulica concernentibus, et his indissolubili nexu juncta Disciplina, Subordinatione, Harmonia, Militaris ordinis manutentione (Mannszucht), animorum unione, sensu communi Turmae Praetorianae, item in sanitaticis, oeconomicis, et Politiae negotiis, Mandatis Caesareo-Regii Primarii Supremi Aulae Praefecti, qua omnium Caesareo-Regiarum Praetorianarum Turmarum Colonelli, in Iudicialibus vero, nec non Causis civilibus, remansa post mortem substantia (Verlassenschaften), et in Pupillaribus Caesareo-Regio Consilio Aulae bellico subest; proinde in Publico-politicis Caesareo-Regio Primario Supremo Aulae Praefecto, in Iudicialibus vero Caesareo-Regio Consilio Aulae bellico parebit. Si nihilominus negotia Nobilis hujus Turmae Praetorianae tractata fuerint, eotum pro circumstantiis rei Cancellaria quoque Regia Hungarico-Aulica consuletur. In Ecclesiasticis autem dependebit Turma Praetoriana a Generali Vicario Castrensi.

In negotiis Servitium concernentibus, nec non, quoad internam Turmae Constitutionem, omnes cujuscunque demum nominis Insinuationes Caesareo Regio Primario Supremo Aulae Praefecto faciendae sunt, et ab eo omnia Mandata recipienda.

Pro uno quovis neo-denominato Turmae Capitaneo Diploma Regium, super collata eidem Nobilis Turmae Praetorianae Hungaricae Capitanei Dignitate, et huic connexo Regni Baronatu, juxta praeexistentem consuetudinem ex parte Cancellariae Regiae Hungarico-Aulicae expedietur.

Originale novi hujus Regulamenti, et primaevum Turmae Diploma de Anno 1760, ac respective Privilegia Turmae una cum Statutis neutiquam penes ipsum Turmae Capitaneum, verum de exposcente ordine in Archivo Turmae, et respective in loco pro Cassa Turmae destinato, ab igne securo, sub cura, et inspectione Turmae Auditoris asservabuntur.

In susceptione Praetorianorum Militum, prout et relate ad eorum dimissionem, concernentibus Regulamenti hujus Capitibus quam exactissime se conformet Turmae Capitaneus, eò unicò casu exceptò, si unus,

alterve e Nobili Iuventute Hungara tam felix esset, ut benigne signatam Instantiam immediate a Sua Majestate Sacratissima obtineat, cujus, occasione enasciturae aperturae, praeferens reflexio habenda foret.

Cum praecipuus finis eo tendat, ut e Nobili Iuventute apta subjecta tam pro militari, quam civili statu efformentur, ordinis vero et disciplinae impatiens, ac contumax Iuventus fini huic nullatenus respondere possit; ex eo Turmae Capitaneus indesinens studium suum eo dirigat, et sibi subordinatos Officiales serio omnino stringat, ut severissima militaris disciplina, bonis moribus conformis vita, et accuratissima omnium Regulamenti hujus Praescriptorum effectuatio observetur, eisdemque exactissime se omnes conforment.

Turmae Capitaneo non est integrum, cuipiam Praetorianorum facultatem Matrimonium ineundi concedere, cum hoc semel pro semper prohibitum sit. Conjugatis autem Individuis superiorum, et inferiorum Officialium, aliisque minoris Stabi, et caeteris hujusmodi Individuis quarterium in aedibus praetorianis non est concedendum.

Cum exordio unius cujusvis anni Tabellam Statûs Personalis, et Servitii, ordinis item, et Subdivisionum (Rangs- und Eintheilungs-Tabelle), nec non consignationem super applicatione Praetorianorum in Scientiis, Linguis, et gymnasticis Exercitiis juxta adnexa formularia Primario Supremo Aulae Praefecto Turmae Capitaneus sub sua subscriptione exhibeat.

Pro Turmae Cassa, Intertentione equorum, comparatione uniformis vestitûs, et caeteri amictûs, ac generatim pro tota Re oeconomica Turmae Capitaneus responsabilis est. Quamvis autem Rei huic unus superiorum Officialium, aut Primarius Vigiliarum Magister immediate praesit, incumbit tamen Turmae quoque Capitaneo, ejusdem, et ut concernentia Regulamenti hujus Praescripta accuratissime observentur, curam gerere.

Cum Praetoriani post quinque annos dimittendi sint, tempus autem hoc pro se excolendis impendere debeant, ex eo, ne quispiam a necessaria Instructione inutiliter avocetur, nemini ad longius tempus, quam ad duos menses, et tunc etiam nonnisi perspectis praevie fundatis motivis absentiae licentiam Turmae Capitaneus concedat. Quodsi uni, alte-

rive Praetorianorum longius tempus necessarium foret, illud cum designatione motivorum a Primario Supremo Aulae Praefecto impetretur. Caeterum autem Turmae Capitaneus se hoc in passu ex integro praeexistenti circa concedendam absentiae veniam militari Normali conformet.

Cum Consilium Aulae bellicum inviatum sit, ut omnia Rescripta, Ordinationes, et impressas Patentates etiam Turmae Praetorianae medio Primarii Supremi Aulae Praefecti communicet; hinc Turmae Capitaneus tam haec, quam etiam immediate a Supremo Aulae Praefectoratûs Officio emanatas Ordinationes Turmae Praetorianae pro notitia, et sui directione communicet, eademque omnia factô eorundem usu Turmae Auditori pro debita praenotatione, et in Archivo conservatione tradat.

Tesseram Militarem Capitaneus Turmae a Primario Supremo Aulae Praefecto de mense in mensem accipiat.

Cum Turma haec Praetoriana qua Corpus Militare consideretur, et in hac qualitate apud universam Caesareo-Regiam Militiam jam publicata sit; hinc etiam Articuli Militares, ad quos omnes Legiones jurare debent, praesenti Regulamento inseruntur, ut cunctis Praetorianis de tempore in tempus praelegi, iidemque una de eo capacitari possint, quod Subordinatio, et obedientia in servitio animam Militaris status efficiat, ideoque semper inviolabiliter observanda sit; unde suapte intelligitur, quod penes Turmam Praetorianam omnes exorbitantiae, et excessus praecavendi, una vero ad Christianae vitae verum Exercitium, et consueti Cultûs Divini observantiam praecipue attendendum sit.

Tam ipse Capitaneus invigilet, quam etiam per omnes Subordinatos serio omnino invigilari faciat, ne penes quempiam e Turma indecens vitae ratio, lusus fortunae, debitorum contractio, blasphemiae, altercationes, et dissensiones tolerentur.

Iuxta formulare Regulamento huic insertum Capitaneus Turmae Listas censoreas sub propria sua subscriptione prima Ianuarii cujuslibet anni immediate Suae Majestati Sacratissimae exhibeat.

Non indulgeat, sed firmissime insistat, ne quispiam Subordinatorum supplices Libellos, Memorialia, aut querelas immediate Suae Majestati Sacratissimae porrigat; verum ejusmodi supplices Libelli, quidcunque in illis contineatur, semel pro semper Primario Supremo Aulae

Praefecto exhibendi sunt, ut altissimo Loco repraesentari possint. In transgressores hujus Praescripti pro ratione circumstantiarum minori, aut graviori poena animadvertendum est.

Nemini e Turma Praetoriana indulgeatur, vestes germanicas gestare, verum unusquisque praescriptis vestibus uniformibus utatur; Turmae Capitaneus autem strictissime invigilabit, ne ullus Praetorianorum vestes suas uniformes pluribus zonis nimie ornet, seque indecenti modo exornet, aut plane pectoralia alterius coloris sibi procuret, vel lemniscis in colari utatur, et exquisitum militem dedecentem crinium ornatum affectet. Transgressores hujus Praescripti serio plectendi sunt.

Adhaec Turmae Capitaneus medio subordinatorum Superiorum Officialium omnimode curet, ut Tracterius Praetorianos bono victu provideat, id est, praescriptos cibos, sapide, munde, et in sufficienti quantitate suppeditet.

Quemlibet neo-susceptum Praetorianum Capitaneus decursu primi anni vigili observet oculo. Quodsi per tempus hoc comperiretur, ejusdem moralem characterem jam inveteratum, et inconvenientem, ac educationem penitus neglectam esse, nec ullam spem adesse, ut is utilibus Instituti hujus finibus respondeat, eotum ad dimissionem illius, super qua tamen semper omnes Turmae Praetorianae Praepositi vota sua depromere debent, medio Relationis scriptae ad Primarium Caesareo-Regium Supremum Aulae Praefectum faciendae, Suae Majestati Sacratissimae Propositio fiat; id quod ab infra in Capite de receptione, et dimissione Praetorianorum semel adhuc uberius recurret.

Sine gravibus causis nemini Praetorianorum indulgeatur, ut incumbens ei servitium cum alio Commilite commutare possit.

Occasione quarumvis publicarum functionum Turmae Capitanei erit, Augustam Suae Majestatis Sacratissimae Personam, Imperialis Guardiae (Arzieren-Garde) Capitaneo dexteram cedendo, comitari, ita quidem: ut si comitiva haec pedes fiat, is Augustissimum a tergo a sinistris sequatur, si vero curru vecta fuerit Sua Majestas, eotum quoque a tergo a sinistris ast eques Eandem sequatur.

Capitaneus unicuique e Turma de praescripto ordine quidpiam sibi proponenti justam opem, et satisfactionem procuret, et si ille hac

contentus haud foret, erga condecentem recursum ultra rem prosequendi facultatem tribuat, quin tamen vel minimam in eo vindictam propterea sumat. Quodipsum Subalternis quoque bene injungendum est.

Timor Dei penes Turmam Praeterianam omnibus viribus sustentandus est, ac tempore Paschali omnis cura eo convertenda, ut non modo Praetoriani Milites Catholicam Fidem agnoscentes, sed etiam Individuorum ad Turmam Praetorianam pertinentium uxores, et adultiores proles de Praescripto Ecclesiae Sacram Confessionem peragant, tum vero Schedas peractae Confessionis rite exhibeant. Non absimiliter parentes ad piam prolium suarum educationem, in quantum illam praestare possunt, serio adigendi sunt.

Obtrectationes apud Subalternos ne in minima quidem re tolerentur, ac pro iis severissima poena irrogetur.

Turmae Capitaneus est quasi summum elaterium, vi cujus omnes Turmae Praetorianae partes ad motum ponuntur, talique modo totum corpus in praescriptum ordinem deducitur, ac in eodem conservatur; qua de causa non modo omnium plenissimam cognitionem habere, sed etiam extremis viribus constanter eo adniti debet, ut praeattactus ordo exactissima singularum Praescripti hujus partium, et ulteriorum nefors pro exigentibus circumstantiis necessariorum Mandatorum adimpletione inviolabilis manuteneatur, adeoque omne illud, quod pro honore, et existimatione Turmae Praetorianae, consequenter etiam servitii cedere potest, quam zelosissimae impendatur.

Ubi quid momentosi acciderit, aut momentosa quaepiam quaestio nullam moram patiens facienda foret, mox ipse Turmae Capitaneus Primarium Caesareo-Regium Supremum Aulae Praefectum accedat, nisi aliis necessariis occupationibus impediretur, quo in casu Capitanei Locumtenentem illuc mittere potest.

Superioribus Turmae Praetorianae Officialibus in singulari harmonia convivere continuo adnitatur, ac cum illis omnes emanatas ordinationes sine mora communicet, ut, si unus, alterve datâ occasione interimalem Praefecturam assumere deberet, is jam praevie omnium notitiam habeat, seque dirigere sciat. Quapropter Turmae Capitaneus cuilibet Ordinationi Datum ejusdem sibi praesentatae superinscribat, prout etiam

aedium praetorianarum Comendans ejusmodi Ordinationi pro inspectione, et publicatione sibi transmissae ly: vidi superinscribere tenetur.

Generatim autem et Turmae Capitaneus, et caeteri superiores Officiales cum Subordinatis pro ratione eminentioris, aut minoris gradûs, quo super hos elati sunt, eaque modalitate procedant, ut hi potius ex amore, et illorum aestimatione, quam ex metu cujuspiam animadversionis ab illis expectandae obligationibus suis satisfaciant. Hac de causa mitiora media, in quantum possibile erit, prae severioribus adhibenda sunt, siquidem hac ratione honesti animi vir multò facilius resipiscat, et ulteriores errores evitare magis adnisurus sit, quam si perspexerit, nimis sensibilem poenam sibi irrogatam fuisse. Caeterum nec Turmae Praetorianae, nec ejus Comendanti honori cedet, si multae, et severiores poenae in usum venerint, eo quod exinde, hujus quidem homines regendi inscitia, Subordinatorum vero ad excessus proclivitas elucescat.

Poenarum autem irrogatio, quae maturo Turmae Capitanei judicio relinquitur, consistit proprie, relate ad Officialem, in aresto sive in cubili suo, sive apud Agminis Coactorem subeundo, ubi praemissae commonitiones, et reprehensiones nullum effectum produxerint, ea ulteriori cum reflexione, ut ferrum, et vincula in illo duntaxat casu adhibeantur, si commissum delictum formali Processu vindicari debeat, quorsum etiam incorrigibilitas pertinet. Eadem ratio stat cum Auditore, Computuum Ductore, et Prostrate Officialis characterem gerentibus. Computuum Ductorem potest Capitaneus Turmae ob incapacitatem, aut aliis fundatis de causis cum consensu Caesareo-Regii Primarii Supremi Aulae Praefecti dimittere, quamprimum is omnia in ordinem reduxit, et resignavit, ac absolutoriales a sua competentia accepit; Auditor nihilominus, si ipse non petat, dimitti haud potest, nisi culpa sua formalem Processum contra se erigendum promeritus fuerit. Quoad Turmae Medicum, Chyrurgum, Scholae equestris Magistrum, Furierium, Agminis Coactorem, Domûs-Inspectorem, Portarium, Tympanotribam, Tubicinem, et reliquum Domûs Personale eadem ipsa stat poenarum ratio; his tamen omnibus, demptô Medicô, etiam sine Processu vincula injici possunt; quodsi vero apud unum ex his nulla emendationis spes esset, aut pro obeundis obli-

gationibus suis inhabilis adinveniretur, eotum apud Caesareo-Regium Primarium Supremum Aulae Praefectum ad talismodi Individui dimissionem sine mora procedi potest. Si apud Mediastinos, Agazones, Stabuli famulos (Roßwärter), et Aurigas carceres domestici, aut ferrum, et vincula, vel brevior vinculorum, et compedum injectio frustra adhiberetur, eotum hi Viginti, Viginti quinque, Triginta, et ad summum Quinquaginta baculorum ictibus plecti, et si neque hoc ullum produceret effectum, qua incorrigibiles dimitti possunt; qua tamen in poena nunquam extremis baculi finibus, ast pleno baculo verbera infligantur.

Turmae Capitaneus, omnesque tam superiores, quam inferiores Officiales nigra laeca obductos, alboque nodo, et viridi fascia provisos baculos gestabunt, quae Praerogativa etiam primis quatuor in ordine, et senio Praetorianis pro alleviamine Secundariorum Vigiliarum Magistrorum, quorum servitia alternative cum illis obeunt, in praeexistentia quatuor Contubernia distributis conceditur. Inspectionem habens Praetorianus arundineum pro tempore illo gestabit baculum, alias vero nemo Praetorianorum baculum gestet.

Quodsi quispiam Officialium pro comparandis equis novitiis, aut aliorsum exmissus, et ordinatus fuerit, scripta semper provideatur Instructione, ut hac ratione omnibus occurrere queuntibus erroribus obviari possit.

Officiales cum absentiae venia hinc abeuntes, prout jam ad finem Capitis primi de Praetorianis Militibus commemoratum est, eo reflectendi sunt, ut ubivis locorum ita se gerant, quasi penes Turmam Praetorianam forent, consequenter in veste uniformi continuo incedant, cuivis cum decore, cumprimis autem distinctioris conditionis personis quasi Praepositis suis obvient.

Demptis superioribûs, et inferioribûs Turmae Officialibûs, quibus juxta praesens Regulamentum equiles portiones emensae sunt, consequenter a Secundario Vigiliarum Magistro deorsum inchoando nemini tam facile, Praetorianis autem Militibus nullatenus admittatur, ut proprium carpentum, aut sonipedes servare possint; cum enim haec intertenere nonnisi paucissimi in statu sint; hinc id duntaxat malam apud caeteros causaret impressionem.

Extraneis advenis, eorumque equis sine indultu Turmae Capitanei, nec hospitium, nec stabulorum usus in aedibus praetorianis concedatur.

Turmae Capitaneo activitas tribuitur, Auditorem e Natione hungara, quoad requisitas qualitates caeterîs paribûs, praeeligendi, ac pro isto non minus, quam pro Computuum Ductore, et Prostrate Inferioris, et Superioris Locumtenentis, imo pro ratione circumstantiarum, et meritorum pro Auditore, et Prostrate, nunquam tamen pro Computuum Ductore, etiam Equitum Magistri characterem medio Caesareo-Regii Primarii Supremi Aulae Praefecti exoperandi.

Nemini, quiscunque sit, indulgeat Turmae Capitaneus, equos serviles pro voluptate, et distractionis causâ adhibere.

Ab uno quovis neo-suscepto Praetoriano Capitaneus declarationem excipiat, num militari, an civili statui se addicere velit? omnes autem ad studia praescriptarum scientiarum inviandi, et stringendi sunt.

Praeter id, ne ulli admittatur, quidpiam, quod non est uniforme, gestare, curabit una Capitaneus Turmae, ut universa etiam Stabi minoris Individua, ac ea, quae primae ut dicitur Planae inserta sunt, introductas germanicas uniformes vestes gestent.

Quod praeter omnia immediate ad Obsequia Aulica destinata Individua, Stabi etiam minoris, et primae Planae Individua demptîs Agazonibûs, et Mediastinîs, ubi suscepta fuerint, Iuramento obstringenda sint, id suapte intelligitur.

Si Turmae Capitaneus quempiam inter superiores, et inferiores Officiales qua concitatorem, et transquillitatis turbatorem detexerit, qui Praetorianos ad contumaciam, renitentiam, obtrectationes, ac alia vitia animaret, talem illico Primario Caesareo-Regio Supremo Aulae Praefecto deferat, ejusque dimissionem sollicitet, siquidem ab amandatione hujusmodi enormia mala causantis Individui salus totius Turmae Praetorianae dependeat.

Quia autem Faber-ferrarius Turmae Praetorianae, item Primarii Vigiliarum Magistri, Secundarius, et Primarius Locumtenentes, nec non Capitanei Locumtenens equiles portiones etiam in natura percipiunt; hinc iidem severissime inhibeantur, ne has, si aliquibus il-

larum pro equis suis in stabulo existentibus haud eguerint, aliis vendant, verum eaedem menstruales equiles portiones, exquo partem stipendii Individuorum constituant, sex florenis menstruis e cassa Turmae Praetorianae reluendae sunt.

Nobili huic Turmae Praetorianae Hungaricae asseritur Immunitas a dependendo Linearum, et Telonii Vectigali.

Praetorianis aegrotis tam medicamenta, quam ipsa etiam opes Medici, et Chyrurgi gratuito venient, erogationesque hae Fundum Turmae Praetorianae manebunt, siquidem conservationem valetudinis Praetorianorum primam curarum Instituti hujus esse oporteat.

Pro custodiendis aedibus praetorianis hujas praesidiaria Militia quotidie unum Corporalem, cum uno vice-Corporali, et octodecim gregariis Militibus exmittet.

CAPUT VIII.

ARTICULI MILITARES.

Hi velut hic minus necessarii, ac germanico Regulamento alioquin interti, exmissi sunt.

CAPUT IX.

STATUTA TURMAE PRAETORIANAE OMNI TRIMESTRI PRAELEGENDA.

Primo. Tota Regia Hungarica Nobilis Turma Augustissimo, et Potentissimo Principi FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque Regi Apostolico, Archi - Duci Austriae, praefixum Sacramentum dicat.

Secundo. Omnes ea in Deum pietate sint, ut praeclaro in Urbem totam Exemplo omnia Christiani Hominis Officia expleant. Valebit id tum ad Numen, tum ad Augustos, quibus nempe una Christiana Virtus probatur, demerendos.

Tertio. Praefectis suis exacte rebus in omnibus, quae ad munus suum faciunt, morem gerant: Vindictae nihil in eos, ubi justarum quid poenarum imperarint, spirent. Ipsi Praefecti, seposita aemulatione omni arcta et ipsi inter se charitate devincti vivant, et subjectos Nobiles leniter, dum licebit, regant, foveantque.

Quarto. Qui turbarum graviorum quid concitaverit, e bellicorum Articulorum praescripto plectatur.

Quinto. Qui Praefecti Militaris Imperia ferociter detrectaverit, e Praetorianorum Syllabo eradatur.

Sexto. Impiis verbis, factisque abstineant omnes. Ubi tubarum sono ad Divina convocati fuerint, adsint illico; Qui vel verbis, vel factis nefariis in Numen quid deliquerint, e Legum praescripto castigandos se norint.

Septimo. Duellum omne absit. In id, qui descenderint, plectantur iis poenis, quae per Caesareo - Regia Decreta nuperrime constitutae sunt.

Octavo. Atrociora crimina, et ob quae vindex Iustitia novissima etiam supplicia constituit, e Iuris militaris ordine tunc vindicabuntur, cum Praetoriani militiae muneribus intenti ea admiserint.

Nono. Prostituti pudoris foeminas devitent. In eos, qui sive in Campo, seu in domo commorationi eorum assignata quid hac in re perpetrarint, poenis pro arbitrio altioris Potestatis ferendis animadvertetur.

Decimo. Lusu, compotatione, tabacae fumigatione tum in Aula, tum in Arcibus ad delicias Aulicas structis, quin in ipsis aedibus, in quibus Aulam comitantes commorati fuerint, abstineant, aut castigandos se nôrint.

Undecimo. Qui maledico quem ore lacessiverint, arbitrarie, et pro reiterati reatûs ratione severius puniantur.

Duodecimo. Arma, vestesque multo nitidissimae serventur; qui eorum Impedimentorum, vestium, reliquaeque suppellectilis, quae Praetorianae Turmae propria est, quid pignori locaverit, non illud modo redimat, sed et mulctam, quae oppignorati pretium bis aequet, dependat. Hinc caveant omnino Praetoriani, ne debita contrahant, secus etiam puniendi, Praefecti sedulo invigilent.

Decimo Tertio. Qui illud, quod juste e Militiae ratione imperatum fuerit, exhaurire recusaverit, seditionis reus et habeatur, et plectatur.

Decimo Quarto. Quisque illa, quae assignata fuerit, habitatione sit contentus, in obstrepentes poenae, quae reliquis terrori sint, decernantur.

Decimo Quinto. In eos, qui suo arbitratu nulla Praefectorum venia post praefixam horam per noctem ex Praetorianae Turmae aedibus abfuerint, rigidis poenis animadvertatur. Minoris ordinis Praefectus, qui Subjectorum suorum abfuisse quem adverterit, Centurionem Turmae, aut si is non adsit, vices Centurionis tenentem commoneat illico.

Decimo Sexto. Qui Vigilias neglexerit, aut vinô mersus eas obiverit, e Legum militarium praescripto puniatur.

Decimo Septimo. Nemo post expletas Vigilias quid Tumultûs clamore, vociferatione, jurgiis, aut jaculatione, concitet, severe alioquin plectendus.

Decimo Octavo. Praetorianus Miles nocturnas cumprimis Vigilias in assignata sibi statione cum industria obeat, ni rigide castigari praeoptet.

Decimo Nono. Excubiis quisque militarem, qui par est, habeat honorem; rei puniantur.

Vigesimo. Qui manum Vigiliis adjecerit, arma in lustrantem Vigilias strinxerit, e Legum militarium jussis castigetur.

Vigesimo Primo. Qui in Vigiliis somno indulserit, aut statione prius, quam alter successerit, abierit, e militari Iure poenas det.

Vigesimo Secundo. Qui citra gravem rationem non adfuerit apud Praetorianam Turmam, cum Tuba signum editur, in carcerem detur.

Vigesimo Tertio. Aliis in eventis, et cumprimis, cum Praetoriana haec Turma Castra sequi, Regique suam operam addicere, et desideraret, et impetraret, pariter e praescripto Legum militarium ab Aula latarum vivat.

Vigesimo Quarto. Arcani fidem in iis cumprimis, quae in Aula geruntur, teneant omnes, vel poenas graviores decernendas sciant.

Vigesimo Quinto. Praetoriani cum stationem occupant, caveant, ne animum advertant ad ea, quae elata magis voce utentes coram Augustis Majestatibus proferunt: Arceant quin imo eos, qui aures admovere voluerint propius. Id cumprimis in Exercitu, cum Armorum Praefecti Tentorio advigilant, observent.

Vigesimo Sexto. Quoties periculi quid denunciatur, aut incendii quid in Aula oboritur, Praetoriana Cohors vel tota, vel in suas Turmas, ut imperatum fuerit, divisa adsit, assignatasque sibi stationes teneat.

Vigesimo Septimo. Dum Castra, Exercitumque sequuntur, nemo nisi cui venia facta fuerit, discedat, aut e Nobili hac Turma expungetur.

Vigesimo Octavo. Omnibus, quae tum in hoc, tum in aliis promanaturis Edictis mandabuntur, morem gerant, vetitis vero abstineant.

Vigesimo Nono. Nobilis haec Turma Iudicio Militari e Militiae Legibus obnoxia sit.

Trigesimo. E Turma hac Nobili delictorum ergo erasus, nulli sive militari, sive civili Muneri tota Hungaria obeundo per vitam omnem admoveatur.

CAPUT X.

FORMULAE IURAMENTORUM.

Iuramentum pro Turmae Capitaneo.

Ego N. N. juro per Deum vivum, et omnipotentem, fideque mea spondeo, quod ego, qua Regiae Nobilis Turmae Praetorianae Hungaricae Capitaneus Serenissimo, Potentissimo, ac Invictissimo Principi, et Domino Domino FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, Hungariae, et Bohemiae Regi Apostolico, Archi-Duci Austriae etc. etc. obediens, fidelis, et devotus ero, in clementissime mihi collato Nobilis Praetorianae Turmae Capitanei Munere novissime mihi elargitae Instructioni, ac cunctis in praeexistente ad Turmam Praetorianam novo Regulamento contentis obligationibus, memet exacte, et fideliter conformabo, nec non omnibus viribus eo intendam, ut caeteri quoque mihi subordinati Nobilis Turmae Praetorianae Hungaricae Praepositi Munia sua ad amussim implere satagant, cumprimis autem omne id, quod pro bono, et commodo servitii Suae Sacratissimae Caesareo-Regiae, et Apostolicae Majestatis conferre potest, fideliter detegam, nec quidquam subticebo; Pro securitate Sacrae Personae suae Caesareo-Regiae, et Apostolicae Majestatis, prout et Augustarum Personarum Regiarum summa cum industria, et zelo, imo, ubi res postulaverit, etiam cum vitae meae discrimine vigilabo, hocque fine concreditam curae meae Nobilem Turmam Praetorianam ad exactissimam Officii sui obligationum peculiaribus

eatenus conditis Articulis insertarum adimpletionem assidue stringam; odió denique, amore, timore, favore, aliisque affectibûs sepositîs, omnia ea ad amussim praestabo, quae fidelem, et juratum Nobilis Turmae Praetorianae Capitaneum praestare decet, et oportet. Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum pro Capitanei Locumtenente.

Ego N. N. juro per Deum vivum, et omnipotentem, fideque mea spondeo, quod Serenissimo, Potentissimo, ac Invictissimo Principi, Domino Domino FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, Hungariae, et Bohemiae Regi Apostolico, Archi-Duci Austriae, etc. etc. obediens, fidelis, et devotus ero, commoda altefatae Suae Majestatis Sacratissimae Caesareo-Regiae semper prae oculis habebo, et promovebo, damna vero pro viribus avertam; Quoniam autem Sacra Sua Caesarea, et Regio-Apostolica Majestas me in Capitanei Locumtenentem ad Nobilem Turmam Praetorianam Hungaricam clementissime denominare dignata est; hinc obligationes Muneris hujusce omni cum industria, zelo, et fidelitate semper obibo, securitati Sacratissimae Suae Majestatis, et Augustarum Personarum Regiae Domûs etiam cum vitae meae discrimine prospiciam, et invigilabo; quotidie, vel quotiescunque necessitas exegerit, in Aula pro servitio comparebo; Nobilem Turmam Praetorianam ad exacte praestanda servitia omni conatu, et studio stringam; Vigilias tam in Residentia Sacratissimae Suae Majestatis Burg nuncupata, quam et in itineribus, et campiductibus, ac profectionibus diu, noctuque quam oportunissime collocari, et statutis horis permutari faciam; Inquarterisationes de praescripto quam optime ordinabo, et subrepartiar; insuper praefatam Nobilem Turmam Praetorianam ubivis locorum intra debitos militaris Disciplinae limites servabo, ob emergentes nefors sub ipsa servitii functione defectus, aut aliis in occasionibus, amore, timore, favore, aliisque complacentiis, et affectibûs sepositîs, erga omnes, et singulos citra ullum partium studium, et aequanimem memet exhibebo; casu quo autem in Augusta Aula, aut in ejus vicinia de

die, aut de nocte incendium oriretur, mox, ubi vel tympani sono, vel alia ratione eatenus certior factus fuero, illico me ibi sistam, et opera mea praesto adero; In reliquo Instructioni, et Statutis Nobilis Turmae Praetorianae, aliisque Ordinationibus me quam exactissime conformabo, praecipue vero Domino Caesareo-Regio Colonello, et Supremo Aulae Praefecto, prout et Domino Turmae Capitaneo semper debitum respectum exhibebo, atque omnia illa, quae hi, aut eorum Vices-gerentes jubebunt, accuratissime exequar, illisque obediam, et parebo; omnia denique ea praestare haud intermittam, quae fidelem, et juratum Turmae Praetorianae Capitanei Locumtenentem, ac servum Sacratissimae Suae Majestatis pro ratione honoris, et Iuramenti sui facere decet, et oportet. Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum pro Primario, et Secundario Locumtenente.

Ego N. N. juro per Deum vivum, et omnipotentem, fideque mea spondeo, quod Serenissimo, Potentissimo, ac Invictissimo Principi, et Domino Domino FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, Hungariae, et Bohemiae Regi Apostolico, Archi-Duci Austriae etc. etc. obediens, fidelis, et devotus ero, commoda altefatae Suae Majestatis Sacratissimae Caesareo-Regiae prae oculis habebo, et promovebo, damna vero pro viribus avertam, et praecavebo; et siquidem Sua Majestas Sacratissima Caesarea, et Regio-Apostolica me in Primarium, (Secundarium) Locumtenentem ad Nobilem Turmam Praetorianam Hungaricam clementissime denominare dignata est; hinc Muneris hujus Obligationes omni cum industria, zelo, et fidelitate semper adimplebo, securitati Sacratissimae Suae Majestatis, et Augustissimae Familiae, etiam cum vitae meae discrimine, prospiciam, et invigilabo; quotiescunque necessitas postulaverit in Augusta Aula pro servitio comparebo, Nobilem Turmam Praetorianam ad explendas obligationes omni cum activitate, et solertia incitabo, et stringam; Vigilias tam in Residentia Suae Sacratissimae Majestatis Burg nuncupata, quam etiam in itineribus, et campiductibus, ac profectionibus, de die peracque, ac de nocte quam oportu-

nissime collocari, et statutis horis permutari faciam; Inquarterisationes de praescripto quam optime curabo, et subrepartiar, insuper praefatam Nobilem Turmam Praetorianam ubivis locorum intra debitos militaris Disciplinae limites servabo; ob emergentes nefors sub ipso servitio defectus, aut aliis in occasionibus, odiô, amore, timore, favore, aliîsque complacentiis, et affectibûs sepositîs, omnibus, et singulis sine partium studio, et aequanimem memet exhibebo; si in Augusta Aula, aut in ejus vicinia de die, aut de nocte incendium oriretur, mox, ubi vel tympani sono, vel alia ratione eatenus certior redditus fuero, illico me ibi sistam, et opera mea praesto adero; in reliquo Instructioni, et Turmae Praetorianae Statutis, aliisque ordinationibus me quam exactissime conformabo, cumprimis vero Domino Caesareo-Regio Primario Supremo Aulae Praefecto, nec non Dominis Turmae Capitaneo, et Turmae Capitanei Locumtenenti, debitum semper respectum, et honorem exhibebo, atque cunctis iis, quae sive hi, sive illorum Vices-gerentes jubebunt, ad amussim obediam, et parebo, omnia denique illa faciam, et respective facere non intermittam, quae fidelem, et juratum Turmae Praetorianae Primarium (Secundarium) Locumtenentem, ac servum Suae Majestatis Sacratissimae pro ratione honoris, et Iuramenti sui praestare oportet. Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum pro Hungaricis Nobilibus Praetorianis Militibus, Primariis item, et Secundariis Vigiliarum Magistris.

Ego N. N. juro per Deum vivum, et omnipotentem, fideque mea spondeo, quod Serenissimo, Potentissimo, ac Invictissimo Principi, et Domino Domino FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, Hungariae, et Bohemiae Regi Apostolico, Archi-Duci Austriae etc. etc. obediens, fidelis, et devotus ero; Regiae Nobili Turmae Praetorianae Hungaricae (qua Primarius — Secundarius Vigiliarum Magister) adlectus, prout fidelem, et honestum (Primarium — Secundarium Vi-

giliarum Magistrum) Nobilem Praetorianum Militem decet, convenitque, omni zelo serviam; Sacram Personam Suae Regiae Majestatis, ita et Augustam Familiam Regiam strenue, et cum vitae etiam meae distrimine constanter defendam, securitatique Earundem solertissime prospiciam; Altissima commoda quavis occasione promovebo, damna vero pro viribus avertam; Praeposito Domino Turmae Capitaneo, prout et reliquis Dominis Praepositis debitam subordinationem, et obedientiam praestabo; in Itineribus, Vigiliis, ac aliis servitii functionibus die, nocteque, ac alias etiam, ubi quid pro bono, et utili Sacratissimae Suae Majestatis Servitii committetur, summo cum respectu, et reverentia perficiam, meque ubivis locorum promptum semper, et paratum exhibebo; Instructioni, Statutis, aliisque pro Nobili Turma Praetoriana elargiendis ordinationibus ad amussim parebo, ac easdem exactissime observabo; demum omnia ea faciam, et praestabo, quae fidelem, et juratum Nobilem Praetorianum Militem (Primarium — Secundarium Turmae Vigiliarum Magistrum) facere decet, et oportet. Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum pro Auditore, et Secretario.

Ego N. N. juro per Deum vivum, et omnipotentem, fideque mea spondeo, quod, siquidem ego ad Inclytam Regiam Hungaricam Nobilem Turmam Praetorianam qua Auditor, et Secretarius susceptus, et accommodatus sim, non modo qua in servitiis, et stipendiis Sacratissimae Suae Majestatis Domini Domini FRANCISCI II. Electi Romanorum Imperatoris, semper Augusti, Hungariae, et Bohemiae Regis Apostolici, Archi-Ducis Austriae etc. etc. constitutus militaris Officialis, altefatae Suae Majestatis commoda quaeram, et promovebo, damna vero et incommoda pro viribus avertam; verum etiam in hocce mihi concredito, et collato munere tam Domino Turmae Capitaneo, qua actuali Commendanti, quam etiam Domino Turmae Capitanei Locumtenenti, aut iis, qui in illorum aegritudine, vel absentia Turmae Praefecturam gerent, juxta id, quod per Suam Sacratissimam Majestatem Caesareo-Regiam in Militia praescriptum est, vel imposterum adhuc praescribetur, aut alias per usum in Militia receptum introductum est, debitam obedientiam, et paritionem prae-

stabo; commissas, aut vi Officii mihi incumbentes functiones omni possibili cura, diligenter, et accurate exequar; Iustitiam, quantum in me erit, conscientiose, et citra partium studium, aut privatum commodum, sepositô omni respectu, ac juxta elargitam altissimo Loco Instructionem administrabo; insuper qua Secretarius Nobilis Hungaricae Turmae Praetorianae incumbentes mihi correspondentias pro meo scire, proque possibili diligentia, et taciturnitate ducam, et curabo; omnia denique ea faciam, et observabo, quae honestum Turmae Praetorianae Auditorem, et Secretarium praestare decet. Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum pro Computuum Ductore, et Fourieriis.

Ego N. N. juro per Deum vivum, et omnipotentem, fideque mea spondeo, quod Serenissimo, Potentissimo, ac Invictissimo Principi, et Domino Domino FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, Hungariae, et Bohemiae Regi Apostolico, Archi-Duci Austriae etc. etc. et per altefatam Suam Majestatem Sacratissimam clementissime mihi constitutis Turmae Commendantibus, prout et reliquis Praepositis meis obediens, fidelis, et devotus ero, collatum mihi Computuum Ductoris (Fourierii) munus omni cum diligentia, et industria obibo, meque praescriptis jam hactenus, et porro quoque elargiendis Normalibus conformabo; cuncta mihi concredita Pecuniarum, Amictûs, Naturalium, et Instructionum, ac Mobilium Ratiocinia, et Documenta adcurate, prout optime scivero, et conscientiose ducam; me in Ratiociniorum, et Documentorum adulterationes, aut privatum lucrum pro objecto habentes actiones in detrimentum altissimi aerarii Regii adhiberi non sinam, eo minus has ipse praesuscipiam, verum omne damnum sollicite avertam, et si hujusmodi quidpiam comperero, id Praepositis meis insinuabo; quod si vero apud hos fundatis remonstrationibus meis nihil effectuavero, Supremo Aulae Praefectoratûs Officio ipse insinuare obliger, et debeam. Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum pro Prostrate.

Ego N. N. juro per Deum vivum, et omnipotentem, fideque mea spondeo, quod Serenissimo, Potentissimo, ac Invictissimo Principi, et Domino Domino FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, Hungariae, et Bohemiae Regi Apostolico, Archi-Duci Austriae etc. etc. et per altefatam Suam Majestatem Sacratissimam Caesareo-Regiam clementissime mihi constitutis Turmae Commendantibus, prout et reliquis Praepositis meis obediens, fidelis, et devotus ero; collatum mihi Prostratis Officium omni cum industria, et zelo obibo, me praeexistentibus jam hactenus, et porro elargiendis Ordinationibus, ac Mandatis conformabo; Sacram Personam Suae Majestatis Sacratissimae, prout et Augustissimam Familiam strenue, et cum expositione, ac consecratione etiam vitae meae constanter defendam, earumque securitati prospiciam; non absimiliter in itineribus, profectionibus, ac aliis Servitii functionibus, seu de die, seu de nocte, me semper promptum, et paratum exhibebo; demum cuncta ea accuratissime exequar, quae fidelem, et juratum Nobilis Turmae Praetorianae Prostratem facere decet, et oportet. Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum pro Medico, et Chyrurgo.

Ego N. N. spondeo, voveo, ac juro Deo summo, ac omnipotenti, quod Serenissimo, Potentissimo, et Invictissimo Principi, ac Domino Domino FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, Hungariae, et Bohemiae Regi Apostolico, Archi-Duci Austriae etc. etc. meis item per Suam Majestatem Sacratissimam Caesareo-Regiam clementissime constitutis Turmae Commendantibus, prout et aliis Praepositis obediens, fidelis, et devotus ero, eos honorabo, et venerabor, eorum jussis, et mandatis fideliter obsequar, me in omnibus Subordinationi, et elargiendis mandatis conformiter geram; collatum mihi Medici (Chyrurgi) munus omni cum industria, et zelo obibo; Visitationes, et curam aegrorum de die, et nocte indefesso zelo perficiam, porro omnia, quae ad valetudinem Turmae Individuorum proficua, et utilia erunt, omnibus vi-

ribus, prompte, diligenter, et citra omne privatum commodum meum, aut alios secundarios fines conferam; occasione quorumvis criminalium, et aliorum judiciariorum eventuum conscientiosum me exhibebo, attestata super peracta oculata revisione, et chyrurgica Visareperta super vulnerationibus, et mortis casibus, prout optime perspexero, et scivero, una conscientiose citra omnes privatos, aliosque secundarios fines extradabo, (pro solo Chyrurgo: cumprimis in hostilibus conflictibus in loco mihi designando me continebo, nec abinde citra expressum mandatum vel pro momento abibo, verum vulneratis sine mora medelam adferam), ad conservationem medicamentorum, et ne haec dispendiose administrentur, porro ad Chyrurgica Instrumenta, et alia similia Requisita solerter invigilabo; necessaria medicamenta ex nullo alio, quam eatenus altiori Loco designato Pharmacopolio accipiam, eaque nemini, quam quibus gratuito competunt, suppeditabo; reliquis Individuis, quae medicamenta solvere debent, haec nonnisi cum praescitu Turmae Praefecturae suppeditabo, et super eorum erogationibus genuinum Ratiocinium Turmae exhibebo; extraneo autem Individuo nulla unquam ratione medicamenta cum, vel sine persolutione, praestabo; me ad nullas maleversationes, aut privatum lucrum pro objecto habentes actiones in detrimentum altissimi aerarii adhiberi sinam, eo minus has ipse praesuscipiam, verum omne damnum sollicite avertam; insuper cuncta, quae in Infirmaria aegrotis nociva esse reperero, Turmae Praefecturae illico, et sincere insinuabo; quodsi vero illic fundatis remonstrationibus meis nihil effectuari potuerit, id Supremo Aulae Praefectoratûs Officio ipse insinuare obliger, et debeam. Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum pro Aedium Praetorianarum Inspectore.

Ego N. N. juro per Deum vivum, et omnipotentem, fideque mea spondeo, quod Serenissimo, Potentissimo, ac Invictissimo Principi, et Domino Domino FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, Hungariae, et Bohemiae Regi Apostolico, Archi-Duci Austriae etc. etc. et per Suam Majestatem Sacratissimam Caesareo-Regiam clementissime mihi praeposito Turmae Commendanti, prout et caeteris

Praepositis meis obediens, fidelis, et devotus ero; praeexistentibus Mandatis, et Ordinationibus me exacte conformabo, concredita mihi negotia, item Ratiocinia, ac Documenta prout optime scivero, et conscientiose ducam, et perficiam, me ad nullas m leversationes, aut privatum commodum pro objecto habentes actiones in detrimentum altissimi aerarii adhiberi sinam, eo minus has ipse praesuscipiam, verum omne damnum sollicite avertam, et si hujusmodi quidp am advertero, eatenus illico Praepositis meis insinuationem faciam; quodsi vero illic fundatis remonstrationibus meis nihil effectuari potuerit, id ipsi Supremo Aulae Praefectoratûs Officio insinuare obliger, et debeam. Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum pro Scholae equestris Magistro.

Ego N. N. juro per Deum vivum, et omnipotentem, fideque mea spondeo, quod Serenissimo, Potentissimo, ac Invictissimo Principi, et Domino Domino FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, Hungariae, et Bohemiae Regi Apostolico, Archi-Duci Austriae etc. etc. et per Suam Majestatem Sacratissimam Caesareo-Regiam clementissime mihi praeposito Turmae Commendanti, prout et reliquis Praepositis meis obediens, fidelis, et devotus ero, collatum mihi scholae equestris Magistri Servitium omni diligentia, et conatu obibo, debitam curam, culturam, et pabulationem servilium equorum indefesso zelo procurabo, et quid quid pro conservatione equorum utile est, id totum pro viribus meis prompte, diligenter, et citra privatum meum commodum, aut alios secundarios fines conferam; cumprimis autem eo invigilabo, ut curae meae concrediti equi serviles bene serventur, nec illis quidquam subtrahatur, sed neque ad privata servitia in damnum altissimi Aerarii adhibeantur; si autem simile quidpiam comperero, eatenus Praepositis meis insinuationem faciam; quodsi vero apud hoc fundatis remonstrationibus meis nihil effectuari potuerit, eotum ipsi Supremo Aulae Praefectoratûs Officio id insinuare obligatus sim, et debeam. Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum pro Agminis Coactore, Tubicinibus, et Tympanotriba.

Ego N. N. spondeo voveo, ac juro Deo summo, et omnipotenti, quod Serenissimo, Potentissimo, ac Invictissimo Principi, et Domino Domino FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, Hungariae, et Bohemiae Regi Apostolico, Archi-Duci Austriae etc. et per Suam Majestatem Sacratissimam Caesareo-Regiam clementissime mihi praeposito Turmae Commendanti, prout et aliis Praepositis obediens, fidelis, et devotus ero, eos honorabo, et venerabor, eorumque jussis, et mandatis fideliter obsequar, me in omnibus subordinationi, et elargiendis mandatis conformiter geram, cunctis item obligationibus, et incumbentiis meis, praesertim, si casus evenerit, coram hoste omni zelo, et exactitudine satisfacere velim, et debeam. Sic me Deus adjuvet.

Iuramentum pro Fabro ferrario Turmae Praetorianae.

Ego N. N. spondeo, voveo, ac juro Deo summo, et omnipotenti, quod Serenissimo, Potentissimo, ac Invictissimo Principi, et Domino Domino FRANCISCO II. Electo Romanorum Imperatori, semper Augusto, Hungariae, et Bohemiae Regi Apostolico, Archi-Duci Austriae etc. etc. item per Suam Majestatem Sacratissimam clementissime mihi praeposito Turmae Commendanti, prout et aliis Praepositis obediens, fidelis, et devotus ero, eorumque jussis, et mandatis, si Arti Rei veterinariae, et sanitatis remediis haud contrariantur, fideliter obsequar, collatum mihi Fabri servitium omni cum diligentia, et zelo obibo; curam, et culturam aegrotorum servilium equorum indefesse procurabo, et quid quid ad eorum conservationem utile, et proficuum est, id totum pro viribus, citra privatum commodum meum, aut alios secundarios fines prompte, diligenterque conferam; si ordinarii, aut extraordinarii equorum morbi irrepserint, superioribus meis instantanee circumstantialiter detegam, comparata per Turmae Commendantem medicamenta unice in equos serviles Turmae Praetorianae convertam, nec eadem ulla unquam ratione alteri cui-

piam sine mandato Turmae Commendantis sive gratuito, sive erga persolutionem suppeditabo; Equos serviles bonis, et accommodis, nec nimis longis, nec brevibus soleis providebo, ungulas in longum eis excrescere non permittam, ac has in scindendo, et excavando non laedam; eos in calidarum febrium circumstantiis nimium quantum non tegam, liberum aëris permeatum illis non impediam, nec stabula nimis calida tenebo; me ad fraudulentas, et privatum lucrum pro objecto habentes actiones in praejudicium altissimi Aerarii adhiberi non sinam, eo minus ipse has praesuscipiam, verum damna quaevis, et incommoda diligenter avertam; quodsi autem nefors aliquid detrimenti, ob nimis oeconomicam servilium equorum comparationem, comperero, aut si desiderata medicamenta mihi suppeditata haud fuerint, vel nociva equis sanitatis remedia adhibita exstiterint, si porro equi serviles ex malitioso cum eis agendi modo incaluerint, destructi, aut ad privata servitia adhibiti fuerint, si denique divexati, item inordinate pabulati, et purgati exstiterint, stabula autem immunde servari, nec eadem debite evenitillari, verum vaporibus repleta, et equis nociva esse adinventum fuerit, id illico, et sincere praeposito Commendanti detegam, et si apud hunc fundatis remonstrationibus meis nihil effectuari potuerit, ipsi Supremo Aulae Praefectoratûs Officio insinuare velim, et tenear. Sic me Deus adjuvet.